

LIBER PRIMUS

T_1 v.1 Arma, dolos, acies, immensi roboris ausus
 2 numen et imperium, latissima regna, triumphos
 3 stultitiae cantabo Deae, cui summa potestas
 4 et cui turba Deorum lusibus atque cachinnis
 5 olim forte vacat per laeti compita caeli,
 6 hanc cernens captam mente et laborare phrenesi
 7 molliter arrisit, plausu et blandita jocosu
 8 donavit cessitque sibi quod quisque teneret
 9 inscitiae hac lege ut quam vellet, parte retenta,
 10 partiri posset reliquum quo prona voluntas
 11 flecteret alternos animos, aevoque futuro
 12 haec tutela foret, Domina et Regina Furentum.
 13 Forte joco huic tali Risus Deus affuit et, cum
 14 ipse Deam facie et gestis linguaque referret,
 15 huic fuit addictus comes et collega perennis.
 16 Abs te ego nunc supplex, divina Insania, posco
 17 e caelo ad proprium dignata illabere munus.
 18 Gratia si qua tibi est nutu concessa Deorum
 19 depluat in nostrum fecundo ex ubere pectus,
 20 et mecum lymphata canas tua grandia Gesta.
 21 Scis etenim quantum fatua est humana facultas,
 22 quodque opus omne suum stultum est et fabula vana.
 23 Omnia nam penetras, tua magna potentia totum
 24 orbem sola regit, sacro quia numine plena
 25 cuncta tuo et subter curva testudine nil fit,
 26 ni fueris consulta prius ceu Syrticus Ammon.
 27 Quem tu Diva foves, cui se tuus undique totus
 28 spiritus insinuat, subiens penetralia mentis,
 29 ipse graves casus et tela minantia saevae
 30 fortunae aspernens, sortemque et fulmina ridet.
 31 Tu mellita animos quadam dulcedine mulces
 32 ut, cum primum aderis, quidquid grave, quidve molestum est
 33 conversum in risus laetos agat esse dolentes.
 34 Tu condimentum es, cunctisque accommoda rebus
 35 te sine militibus non contigit aurea palma,
 36 te sine frigescet recitans ad pulpita rhetor,
 37 cum Musis sine te ridebitur alma Poesis,
 38 esuriet pauper medicus, numerosa mathesis

39 nullam habitura fidem mendacia larga sonabit ;
40 cumque suo nulli placitura est musica cantu.
41 Te sine nil gratum finget pictura figuris ;
42 mimicaque ars penitus cum gestu explosa jocosus est.
43 Te sine pro Nireo Corytheus esse videtur ;
44 et pro Narcisso rugosum Nestora dicas ;
45 susque loco altiloquae censetur stare Minervae.
46 Te duce quisque trahit vitam sub pectore laeto
47 et sua cuique placent, pariter nec paenitet ullum
48 stemmatis, ingeniique sui, patriaeque, locique ;
49 sed se felicem, generosum, seque beatum,
50 et regem et solum sapientem se putat esse,
51 morio sit licet hic et, te suadente, professus.
52 Unde fit ut Scythici patriam mutare recuset
53 cum Siculo ; Psillus steriles non mutet agellos
54 cum Latio ; ac Morinus dites nil pendat Athenas.
55 Maeonidi haud Bavius, nec Maeuius ipse Maroni,
56 Marsia nec Phoebos, nec olori cesserit anser.
57 Denique nec quisquam traducet molliter annos,
58 addictus nisi sit sacris numeroque tuorum,
59 aut hilari hunc facie aspicias et fronte faventi.
60 Ergo tuo auspicio zephris dabo vela secundis.
61 Lubrica dum teneris aetas deducta sub annis
62 pendet in ambiguo quem praestetprehendere callem,
63 monstravit Samia exemplar mihi littera vitae.
64 Ingressus rationis iter multumque vagatus,
65 sub mentis speculo vidi quam maximus error
66 falleret humanum vulgus, quantum irrita sit spes,
67 quam vanae sint curae hominum tormenta labores,
68 quam vanum studium, vanus conatus et artes ;
69 et nihil esse aliud vitam hanc praeter vaga caeca
70 lubrica stultitiae risu cantanda soluto.
71 Dehinc semper manibus, pedibusque et pectore toto
72 impense studui hoc, id sum molitus et unum,
73 ut fatuos premerem affectus curasque fugarem.
74 Hocque diu saxum volvens, jam, pace reperta,
75 factus eram voti compos, nostrisque fugatis,
76 nulla mihi angebant externa negotia mentem.
77 En subito assurgens aliena insania motu,
78 seu propria haec fuerit nostroque innata cerebro
79 jam mihi quaesitam certat turbare quietem
80 nec spirare sinit, nedum requiescere, sed nec
81 dormire usque adeo petulans male suada gravisque est.
82 Ambiguas nec tot narrant variasse figuras
83 Protea, quot renovat mutata haec bellua formas.
84 Inque dies sumit tantum sibi roboris, ut si
85 mutus et elinguis, seu rana Seriphia sive
86 Harpocrates fierem, vel si praefixa palato
87 aut labris consuta foret mea lingua, tacere
88 nequaquam posset caneret quin devia vulgi
89 consilia, ac steriles actus, et inania vota,
90 quae numero tot sunt, quot habet vaga sidera caelum,
91 quot frondes silvae, pisces mare, litus arenas.
92 Unde licet cupiam chartas stipare capaces
93 materies tanta est, tam lata est copia, quod me
94 sic tenet attonitum, perplexa mente vagantem,

95 ut neque principium, nec prima exordia rebus
 96 anxius inveniam. Sed si mea perfluat ora
 97 Pimpla, vel Eurotas, Permessi aut Phocidos undae
 98 stultitiae nequeam meritas percurrere laudes.
 99 Haec mortale genus, suasu faciente potenti
 100 lactat et irretit, laqueat, blanditur, inescat
 101 attrahit applaudens, ac, ut maga, fascinat omnes.
 102 Numine nescio quo veniat sibi gratia tanta.
 103 Facta adeo est petulans domina, imperiosa, superba,
 104 ut caput insertet, seseque intrudat ubique
 105 et conjuratos tot habet, tot nacta sequaces,
 106 tot tenet et captos, ut paene subegerit orbem.
 107 Nunc mage quam solita est Dea strenua saevit et instat,
 108 ut reliquum subigat, (quamvis quota portio desit) ;
 109 vesanos equites acuit, fatuasque phalanges,
 110 sed totum est agmen secta partita bimembri.
 111 Selegit quosdam, dextro quos provida cornu
 112 heroas uti delectos inserat, hosque
 113 praecipue caros habeat, teneatque fideles,
 114 mulceat et caput his, voltuque inspectet amico.
 115 Hi sunt ingenue stulti, qui sponte fatentur
 116 esse suos, fatui existunt, fatuosque videri
 117 ac esse exoptant, nec adest sapientis in illis
 118 unciola, aut obolus ; sed totus, quantulus hic grex,
 119 nil nisi stultitia est, propriis innata medullis.
 120 Si bene metimur, si vero credere fas sit,
 121 nec potior status est, nec vita beatior ulla
 122 hoc hominum genere est, quos nulla angusta remordet
 123 cura, nec anxietas, rerum nec avara cupido ;
 124 non metus, aut odium, livor, lamenta, querelae,
 125 terricula et larvae, lemuresque in nocte timendi ;
 126 nec pavor armorum cruciat, mortisque futurae,
 127 non caeci incursus animi, subitique tumultus,
 128 nec pudor, aut maledicta nocent, infamia, nec vis.
 129 Sunt vere ut Superis sacri, quia nemo nocere
 130 his studet, immo et ab his retinet fera bellua morsus.
 131 Pectore quidquid habent, quidquid vel mente repostum
 132 vultus id exhibuit, vel sermo prodit apertus.
 133 Purave simplicitas non astu ducta, nec arte.
 134 Insuper hoc addas, quod nedum hii tempus ad omne
 135 cantillant, ludunt, rident, semperque jocantur,
 136 sed reliquis (aderunt etiam si forte gementes)
 137 gaudia, festa, jocos, lusus, risumque tulere ;
 138 hos veluti dederit mundo indulgentia divum,
 139 quo mentes hominum querulas, ac tristia corda
 140 exhilarent, miseroque e pectore maesta levarent.
 141 Denique tam cari, tam grati, tamque jocos
 142 principibus, summisque viris, ac regibus ipsis
 143 ut pro deliciis teneant, nec posse sine illis
 144 prandere, aut molli pluma captare soporem
 145 testentur, nec stare diem, durare nec horam.
 146 O grata, o dulcis soboles, jucunda, beata,
 147 et cognata Deis, felici nata sub astro !
 148 Dum vivis laeta es, multo mage, morte perempta,
 149 laetior, Elysias recta contendis ad Umbras.
 150 Otia dumque trahunt animae, dum prata peragrant,

151 lusibus usa tuis, Manes et corpora functa
152 allicis in risum et secum comitata vagaris.
153 Unde ego te veneror, nec posthac nostra tacebit
154 lingua tuas laudes, quin magna volumina de te
155 cantando pingat, populis monumenta futuris.
156 At nunc (parce, precor) graviori tracta cothurno,
157 majus opus texens, cornu quos Diva sinistro
158 stultitia instruxit, versu cantabit amaro.
159 Hic hominum numerus fallax, abstrusus et acer,
160 quo nihil callidius, nihil et versutius ispo ;
161 commentum totus, fraudes, ars, techna, dolusque ;
162 empusaque magis varius, Vertumnus ut alter.
163 Prodere se stultum non vult, renuitque fateri.
164 Duplicibus loquitur linguis, quarum altera verax,
165 altera mentitur ; sed conductura sibimet
166 proferet in medium ; pariter nocitura tacebit.
167 Sicque aliud fingens secreto in pectore condit
168 longe huic dissimile et diversum lingua loquetur.
169 Mortales inter sapientis imagine ficta
170 praeferri certat, primamque attingere partem.
171 Nec satis hoc scelus est ; rabida haec et subdola turba
172 semper sollicita est, semper vaga, semper anhelans
173 - seu puer aut juvenis, seu vir, seu stulta senex sit, -
174 quo rapiat, cumulet, dominetur, tendat ad alta.
175 Hinc ego bile tumens stultum hoc, immane, profanum
176 atque bilingue genus, tamquam tibi Diva rebelle,
177 persequar. Hoc tendit resonantes pectine chordas,
178 hoc jecori bilem stomachoque accendit orexim,
179 hoc mihi materiem, modulatis versibus orsum,
180 ingenio vires, cantusque et verba ministrat.
181 Quare ego - cum videam tanta caligine volvi
182 humanos sensus, proprioque a semine gentem
183 degenerasse rudem, et, penitus ratione fugata,
184 in pecus informe et truculenta in bruta labasse
185 sanari ut nequeat si mille epithemata fiant
186 si totidem succos, si mille cathartica, mille
187 ebibat anticyras, totum si gramen et herba
188 helleborum fieret, fieret mare totaque tellus -
189 sollicitus siqua aegrotae dare pocula possem
190 vel medicas adhibere manus, miseratus iniquam
191 efflictim indolui sortem et mecum ipse volutans
192 tabificum hoc vulnus possitne e corde revelli,
193 tentandum statui. Quod si radicibus amplis
194 altius intrarit quam quod se posse mederi
195 promittant medici ; saltem lenire furorem,
196 tollere si nequeo, liceat vanosque tumultus
197 sedare atque homini meliorem tradere mentem.
198 Unde ego, quo post me quaecumque advenerit aetas
199 stratum noscat iter recta rationis amussi,
200 desipiatque minus, fallaci nube remota,
201 tot quot habet mundi cultores machina passim
202 ad sanos volui monitus vitamque beatam,
203 vera bona et nondum rudibus vulgata vocatos,
204 quos veluti monitor, grandi sic voce citabo :
205 "Surgite, sopiti mortales, surgite, clamo".
206 Clamor et hic reboans surdas circumsonet aures,

207 voxque per abstrusos mentis penetrata recessus
 208 excitet attonitos, stimuloque ita pungat inertes :
 209 "Terrigenae o fatui, captique o lumine talpae,
 210 quidnam aliud vita haec quam scenica fabula quaedam
 211 in qua procedit vario gens abdita cultu,
 212 quisque suas peragit partes et munia complet ? "
 213 Sunt homines mimi, ars ludi, mundusque theatrum,
 214 fabula mendaces curae, Fortuna coragus,
 215 qui prodire jubet quemque in proscenia ; saepe et
 216 sub diverso habitu variatum ducit eundem,
 217 ut modo purpureum qui regem gesserat, hic mox
 218 exutus trabea et posito diademate, egenum
 219 servum agat aut mimum trita sub veste latentem.
 220 Et modo qui choreas cantu saltabat amoeno
 221 egreditur lacrimans et tristie funera deflet.
 222 Sic vos saepe jocans sors improba tollit ad astra,
 223 hinc cito praecipites Erebi detrudit ad oras.
 224 Ergo, o ridiculi scurrae, qui voce manuque
 225 orbis in hac scaena numerosa luditis arte,
 226 personam induti variam, et qui mente sepulta
 227 degitis ut pecudes procul et custode remoto,
 228 saltibus Elysiis spretis, ubi pascua laeta,
 229 abrotonum et tribulos, absinthia amara, cicutas,
 230 taxum ac urticas mundani pascitis horti ;
 231 inscitiaeque merum pleno deducitis haustu,
 232 quo ruitis stulti in praeceps ? Quo devia turba
 233 in vetitum properas, deperdita vallibus hujus
 234 Tartarei nemoris, sunt tensa ubi retia mille,
 235 mille subis laqueos, haec dum deserta peragras
 236 nescia quod vitae munus tenearis obire ;
 237 aut ludos quos sis mundi exhibitura theatro
 238 vel qua te superi formantes lege crearint ?
 239 Non ideo natura parens, nec cura Deorum
 240 munitum ratione hominem, mentisque capacem,
 241 attulit in terras grata ad stipendia vitae
 242 quo miser, heu, pereat curarum turbine et aestu ;
 243 quo fera bella, necem, gladios sequeretur et arma ;
 244 quove per omne nefas consuescat vivere raptus,
 245 atque auri rabie miserorum sanguine pasci ;
 246 nec quo fraude, dolis, techna flueretur et arte,
 247 illicitae nec quo Veneris portenta subiret.
 248 Tolle homo, tolle oculos, mentis te absconde recessu ;
 249 cerne, vide et pendas sub quo tu foedere mundi
 250 veneris in pelagus, regno demisse paterno.
 251 Nosce, precor, quid sis et quem tua reddat imago,
 252 qualia cum sacro teneas commercia caelo,
 253 et cui plus dederit divini luminis Auctor,
 254 qui penetrat vivitque tuos diffusus in artus
 255 affinemque tuam voluit sibi jungere mentem,
 256 et dare sublimes oculos ad sidera sursum
 257 ut reperire queas, propriumque videre parentem.
 258 Cur decus ergo tuum, caelo delapsa propago,
 259 marcenti hoc stabulo sepelis, caenoque voluptas ?
 260 Nonne vides, si tecum habitas, ni desipis, esse
 261 omne hominis vanum studium, vanosque labores ?
 262 Omne et opus nostrum, quocumque ab robore fultum,

263 deficere ut mancum, variabile, putre, caducum ?
 264 Paulum curre, precor, per saecula temporis acti,
 265 nil stabile invenies ; verum, compage soluta,
 266 cuncta ruunt pessum fato damnata potenti.
 267 Vidimus en aliquos liquidas equitasse per undas,
 268 mole super posita et structo super aequora ponte.
 269 Hinc alios tumido vaga flumina, stagna, lacusque
 270 eripuisse mari, lymphasque hausisse fluentes,
 271 atque solo medio maria acclusisse retenta :
 272 perforat en alius cautes, et viscera terrae,
 273 moxque illuc intrans carpenta atque agmina ducit ;
 274 velificant alii praerupta cacumina montis,
 275 oppositas alpes alius scopulosque nivosos
 276 multo opere et flammis et vi diduxit aceti.
 277 Cerno immane genus magno sub pectoris ausu
 278 traducuntque illinc classem, mirabile factu,
 279 aggressum superos, congestis montibus alte.
 280 Haec tam magna stupens miratur nescia turba.
 281 Praeteriere tamen cuncta haec et fabula facta.
 282 Hos ego conatus vanos operosaque gesta
 283 subsanno, aspernor, plenoque haec risimus ore
 284 tamquam opus insanum, stultae praesagia mentis.
 285 Intereunt populi, regiones, moenia et urbes,
 286 Assyrii grande imperium tenuere potensque
 287 Assyriis Medi victis Asiaque potiti
 288 hostibus exuviae Persis et praeda fuere.
 289 Sic Pandioniae numeroso milite Athenae
 290 Ismarios domuere duces, Byzantia regna,
 291 Bosphoron, Euxinosque aditus, Tanaimque nivalem,
 292 Sarmaticas vires, Colchos Phasimque Getasque.
 293 Sed subito assurgens victrix Lacedaemon ubique
 294 Cecropidum fastus, pugnantiisque arma repressit.
 295 Et Peloponneso evicta Danaisque subactis,
 296 longius haec quam fas fines porrexerat ausu
 297 cuncta terens avido. Sed enim Thebana juvenus
 298 dentibus anguigenis genita et Mavortia proles
 299 hanc subigit, grandi rerum ditione potita.
 300 Hinc populus Macedo Dircaeos viribus auctos
 301 funditus evertit ; successusque improbus in se
 302 exacuit gladios et ob hoc mera fabula factus.
 303 Magnus Alexander victor tot regna, tot urbes
 304 tot populos domuit ; manes, mare, flumina, montes
 305 terruit ; inde alium affectans quem perderet orbem.
 306 Quid tandem ? Cecidit, moritur, tot saeva laborum
 307 millia, tot curas parvo sub marmore clausit
 308 Mors rerum domitrix, nostros quae sola furores
 309 comprimit indomitos furtim, cogitque fateri
 310 ridendi quam sint humana negotia, ludi.
 311 Dic ubi deliciae Medorum ? Ubi perfida regna ?
 312 Dic ubi nunc Argi ? Vel ubi Latonia Delos ?
 313 Aut Nelaea Pilos, Salamis, vel Sparta, Mycenae,
 314 Olenosque Jovis nutrix, Ephyraea Corinthus,
 315 ac Phoenissa Tyros, Pleuron Meleagria Amycle ?
 316 Maxima Dardanidum fuerat jam gloria ; sed nunc
 317 vepreta, et sentes ubi clarae moenia Trojae.
 318 Prisca Semiramiis Babylon celebrata tropaeis

319 corrui et bibulas nunc fert deserta papyros.
 320 Quid fuerat quondam Carthagine clarius armis ?
 321 Nunc carecta tenent, paliuri et canna palustris.
 322 Reddiderant olim celebrem Nilotida Memphim
 323 ardua Pyramidum moles grandesque colossi,
 324 at modo nulla vides operis vestigia tanti ;
 325 quidquid in his fuerat pulchri longaeva vetustas
 326 dentibus absumpsit rabidis. Sic cuncta repente
 327 in nihilum redeunt, nihilo quae exorta fuere.
 328 Ingredere o Romam, quaeso, qua nulla fuit vis,
 329 majestasve prior, nec gloria clarior ulla,
 330 nec majus sub sole decus, dum fata tulere.
 331 Altius hinc repetas veterum monumenta Quiritum
 332 marmora vel Thermas, pontes, spatiosa Theatra,
 333 atria cum statuis, arcus, Fora, Tempa, Columnas,
 334 obruta cuncta jacent dumis disjectaque passim.
 335 Adverte et ducas per tempora singula mentem
 336 aetatumque gradus ; sedes ubi Romula tellus
 337 quot gentes tenuere prius ! Quot signa, quot hostes,
 338 imperia, et populos, diademata, regna, tyrannos
 339 Roma dedit pessum, dum mundi sceptrum subacti
 340 transtulit in sese ! Quot ibi post fata Quirini
 341 viderit indutos trabem ! Quot, consule abacto,
 342 Augusto in solio steterint, sanctoque senatu,
 343 quotque ubi Pontifices sacrata in sede repositi !
 344 Quos si ubi sint quaeras, tenet hos sub ventre capaci
 345 magna parens clausos, sive alta silentia Ditis,
 346 longa vel oblivio, vel sidera clara receptos,
 347 profuit ergo nihil gentes stravisse superbas,
 348 imposuisse jugum victis, domuisse vel orbem,
 349 tot mala, tot duros olim exantlasse labores.
 350 Vanum opus hoc fuerat, vanus fuit exitus inde.
 351 Sic fumus et praesens et fabula vana sequentum.
 352 Objiciet fortasse aliquis clarissima gesta,
 353 nec virtus poterit tenebris nec fama jacere,
 354 propterea vivet. Fateor sua nomina pulchrum est
 355 porrigere in longum, quae postera censeat aetas.
 356 Ecquid tum fuerit, somno demersus in alto
 357 aut nihil omnino sentis, aut tu graviore
 358 districtus studio mortales quaerere curas
 359 non potes, aut non vis ; id, si dum vita superstes,
 360 gesseris, hospitium quo tu mereare deorum.
 361 Sic nos - heu, facimus ! - non solum fabula fleti ;
 362 sed sumus et vivi. Dicas quid languida firmi
 363 possidet aut certi vita haec, nam caeca ruensque
 364 volvitur in tenebris. Frustra speramus adempta
 365 posse frui requie, cursus, auramque secundam
 366 poscimus incassum, trudit nos saeva Charybdis
 367 saepius in Scyllam, Scyllae de fauce revulsos
 368 absorbent Syrtes, aut aggere vallat arena.
 369 Nullaque pax animi, nulla est sincera voluptas ;
 370 nulli laeta dies agitur sub dulcibus annis ;
 371 pectora solliciti subeant agitata timores
 372 et curae vigiles, trepidique per omnia casus.
 373 Quid sumus, - heu, tandem miseri ! - nisi plena doloris,
 374 marcidaque eluvies, morti subjecta caducae ?

375 Hoc age, tende animum ; curramus, quaeso parumper
 376 per vitae partes nostrae : pueritia primum
 377 quid firmi nacta est ? Equitavit harundine longa
 378 it, venit et rediit, crebro terit omnia saltu.
 379 Mille agitat ludos, semper nova ludrica tentat.
 380 Nunc pavet ad patris monitus, ad verba minasque ;
 381 nunc fugit imperium, metuit nunc verbera matris.
 382 Nunc adeunda schola est, tacito quam murmure tristis
 383 devovet atque illam lacrimanti lumine adivit.
 384 Nunc pila nuncque trochus ludos tribuere nucesque,
 385 lusit et astragalis, par impar, ducere filo
 386 plaustellum didicit visco vel fallere muscas.
 387 Nonne hoc ridendum ? Non haec jocularia sunt ? Sunt.
 388 Cum vero improbior facta est et adulta juvenus :
 389 iste canes vel equos, hic caeci proelia amoris ;
 390 hic choreas, modulos alter vel musica plectra ;
 391 servorum ille gregem, taedas hic nescius optat ;
 392 hunc vestes Tyriae, tenet hunc sua forma decorque ;
 393 hic cupiet magnis servitum regibus ire.
 394 Haec studia, hicque labor non sunt mera somnia ? Quidni ?
 395 Quis furor, o caeci ; quae tanta insania menti est ?
 396 Innumeros nutrire canes, qui cuncta fatigant
 397 latratu horrisono vomituque et stercore foedant.
 398 Quidve feras caveis mulces ? Si, perfide, nescis ;
 399 debetur cibus hic miseris. Actaeona, quaeso,
 400 sume tibi exemplum : canibus quos paverat ipsis
 401 praeda fuit. De te recitatur fabula, fies
 402 tu fera ut Actaeon. Sed equos quae tanta phrenesis
 403 pascere te stimulat ? Sternax, immite, superbum,
 404 indomitumque animal, nodis ac fune ligandum,
 405 quod semper rodit, consumit, devorat. At dum
 406 stipatus fuerit venter, petulansque saginis,
 407 calce petit dominum, sella vel forte sedentem
 408 excutit in terras. Si raptim currere oportet,
 409 non audit stimulos ; coeptum si figere cursum,
 410 mordicus apprehendit frenum, cursuque citato
 411 te rapit in praiceps ; fuerit si forte fremendum,
 412 hiscere tunc renuit. Verum si quando latere
 413 est opus, hinnitu et fremitu super intonat aether.
 414 Sic canibus vel equis diceris bestia major.
 415 Si sequeris tenerum vagus et delirus amorem,
 416 nulla minus constans vita est, nec acerbior ulla
 417 nunc audire licet laetum se dicere amantem :
 418 "O me felicem ! noctem o sine fine beatam !"
 419 et modo duritiem doluit, modo flevit amicae.
 420 Nunc citharam ad numeros tendit, nunc nocte silenti
 421 ante fores Dominae queritur, nunc carmina mittit.
 422 Nunc gemit ; heu miserum, quae bellua caeca Cupido
 423 me tenet obsessum, lacerat, fodit, enecat, urit !
 424 Hic natat, et renatat ; dedit haec sua colla capistro.
 425 Hi sese jugulant, haec arbore lapsa pependit,
 426 haec sublata pyra secuit sua pectora ferro.
 427 Talia quid, rogo, sunt ? An non haec plena cachinno ?
 428 Cogimur en alium nostris appingere chartis,
 429 qui vagus inconstans juvenili tractus amore,
 430 ductus ab inscitia potius vacuoque cerebro

431 exercet choreas et saltu membra fatigat.
 432 Stultius aut levius quidnam quam pene furentes
 433 cernere femellas volvi circumque rotari ;
 434 sub gyro assiduo, dextra modo nuncque sinistra ;
 435 vel tolli sursum saltu, vel ad ima relabi ?
 436 Sis licet ipse siti exustus, liquefactus, anhelans,
 437 tunc magis insistis sudore et pulvere mersus.
 438 Tum Venus inspirat flammam, animosque Cupido
 439 exacuit segnes, ludunt oculique manusque.
 440 Alter in alterius tunc furtim immurmurat aure,
 441 suspirat, narratque suos tum quisque dolores.
 442 Aspice quid pariant choreae, sunt et caput et fons
 443 et stimulus Veneris, scelerumque uberrima radix,
 444 nequitiae semen vivax, illicia, fomes,
 445 esca libidinibus, mentisque ruina pudicae.
 446 O fatue, o demens, o beta insulsior ipsa
 447 hoc ferri circum, per gyrum quaque revolvi,
 448 quidnam aliud praeter furere et vertigine duci ?
 449 Attrahor ad laetas gentes, quae musica plectro
 450 instrumenta movent, cantu comitante sonoro.
 451 Articulata juvant dum te discrimina vocum,
 452 concentu harmonico modulanti e gutture ducta ;
 453 dum tonus, hemitonus ; dum chroma et nota diesis ;
 454 dum spatia atque genus, schysma et systemata, phthongi
 455 symphona et apotome, melopoeia, intensa, remissa ;
 456 dumque vagum e stanti, dumque ad grave tendis acuto,
 457 tempus inane ruit, nullo revocabile cantu.
 458 Esto, age, turbatas mentes et tristia corda,
 459 vexatosque animos citharae modulamine places ;
 460 carmine vel melico resonans tua fistula vel vox
 461 mirantes volucres, tellurem, sidera, pontum
 462 attrahat, et stupidi veniant ad littora pisces ;
 463 deponant rabiem venti tonitrusque fragorem ;
 464 pectine vel fidibus valeas calamoque loquaci
 465 sensificare nemus, montes animare, ferasque
 466 mulcere et duris immittere cautibus aures ;
 467 ad cantus permulsa tuos feritate remota
 468 turba celer volitet Stygio demissa profundo ;
 469 nulla tamen tam dulcis erit, tam grata, potensque
 470 harmonia aut tam suave melos, quod solvere dura
 471 fixa necis decreta queat paulumque morari.
 472 Captantes rythmos at tu dum voce retexis,
 473 dum nimium tibi stulte places, inopina ruit mors,
 474 quae te deliciis captum et nil tale putantem
 475 strangulat, et numeros vocisque intercipit usum.
 476 Sic mutum corpus, cantataque fabula restas.
 477 Heu, quam praestaret plorando ad gaudia duci
 478 quam labi in poenas aeternaque damna canendo !
 479 Nunc mihi sese offert risu cantanda profundo
 480 stultitiae species servorum obsessa caterva.
 481 Hi sunt qui tumidi vento fastuque levati
 482 innumeros pascunt comites, non utile vulgus.
 483 Quam vere es demens famulis qui alimenta propinas !
 484 Hos fidos credin ? Mentiris. Ipsa ruina
 485 est servile genus dominis ; tot tela, tot hostes
 486 secreti, tot erunt fures, tot vasa veneni

487 quot famuli ; tot sunt rixae certamina, lites,
488 tot mala, totque tubae, tot bella et damna, tot ignes.
489 Omnia rimatur, reteggit, resupinat, adurit,
490 devorat, absumit, diversat, prodigit, aufert,
491 dilapidat, pappat, demergit ventre capaci ;
492 eructat, potat, mingit, latus incacat omne.
493 Scire volunt quid agas et quid mediteris, at illud
494 quod jubeas nescire student, et fingere surdum.
495 Omnia se sapere insimulant, cum nil tamen ipsi
496 nosse velint, nisi quod suadet gula, venter et esus,
497 otia, segnities, plumae, sopor, atque libido.
498 Utile servitium spondent ; sed tempore parvo
499 jus domini usurpant, omnique tyrannide pejus
500 imperium arripiunt nullo tolerabile pacto.
501 At post quam fueris damnum et convicia mille,
502 mille dolos passus, mercedem solvere oportet.
503 Unde tui famuli, fatuos quos saepe putaras,
504 te sibi persimilem reddent, aut stultior ipsis
505 paulatim evades ridentis fabula vulgi.
506 Stultitias inter dicenda haec maxima grandes
507 unica, praecipua, excellens, et digna corona
508 quae maga, cantatrix, quae dira venefica, saga
509 sic ligat insanos homines, sic fascinat ut se
510 vendat liber homo, dum stulte et sponte subintrat
511 vincula conubii et muliebri se implicat hamo.
512 Quisquis es, o moneo, tantum furiosus et expers
513 consilii ut paulum expertus male cautus et errans,
514 qui labyrinthos flexus ambage recurvos
515 nescius ingrederis ; vigila, sapientius ito,
516 pande oculos, et quae tendantur retia spectes.
517 Ardua res conjux, provincia dura, molestum
518 est onus, hac una gravior neque sarcina menti,
519 assiduum est crucium conjux, est poena perennis.
520 Supplicium internum, pendensque ad colla capistrum.
521 Non tribus haec horis ; sed totius hospita vitae ;
522 hospita, quid dixi ? Potius tibi forsitan hostis,
523 quam nisi defletam liceat depellere lecto ;
524 marcida sit quamquam pedicosa et morbida pestis.
525 Si tibi contingat vitiatis moribus uxor,
526 uxoris vitium truncandum aut germine primo
527 aut forti stomacho tacita sub bile premedum.
528 Si formosa nimis, pedibus tibi juncta catena est,
529 quam nisi mors solvat. Jactura en altera forsan
530 cum populo communis erit. Si foeda vel aegra,
531 haec odio facili digna est, et fuste fuganda.
532 Si menti id sedeat ; penitus cervice subacta
533 ferre jugum et forsan pacto percussa fides est,
534 siste pedem atque audi quid sit tolerare necesse :
535 dum nova nupta domum veniet comitata tumultu,
536 pascendi quot erunt, satianda est turba tuorum
537 a proavo veniens, quos longa adoleverit aetas.
538 Quare age quicumque es, quem olim tam dira cupido
539 instimulet, dura et terdenos differ in annos,
540 tecum agitans quid agas an non ducenda sit uxor.
541 Cum super his cautus partes discussers omnes,
542 tunc cape consilium quod caelum objecerit ; <illud>

543 si differre neges et res uxoria cordi est,
544 tota domus primo pictis velanda tapetis ;
545 prandia, syllatum, genialis cena paranda
546 proque gulae stimulo primo certamine dandi
547 saccarei pinus nuclei suavisque placenta
548 saccarea, et piperi tuso mustatia mixta.
549 Vinaque convivis, quocumque exorta sub orbe
550 vitibus omnigenis luxu tribuenda fluenti :
551 mollia cum austeris, Cretensia, Lesbia, Chia,
552 Massica, Setinum, Graecum, Trebulana, Falernum ;
553 Tuceta et lardum, volucres, piscesque, feraeque ;
554 muria, sapa, garum, mel, passum, mulsum et acetum,
555 oxyporum, et gustum revocantes mille moreti ;
556 pastilli, artocreae, globulique et crustula, pultes,
557 cinnama, thura, piper, quod habent vel Bactra vel Indi ;
558 lympham rhodina pluat tandem et bellaria mensis.
559 Hoc si non satis est, terdena repotia fiunt.
560 O nimium infelix, multum o miserande marite,
561 si potes hos sumptus, si tot dispendia ferre !
562 Accipe majora his, erit haec quota portio damni.
563 Si ditem capias clarove e stemmate (natam)
564 quando ea delicias et prima crepundia, puppas
565 atque puellares lusus ommiserit ; inde
566 tendet ad ornatus varios nimiosque ferentes
567 munditias sumptus et, amat quos femina, odores.
568 Succina vult collo, coralia, Gorgone nata,
569 quaeque ab Erythraeo portantur litore, gemmas,
570 beryllos, aurum digitis, adamanta, smaragdos.
571 Adde quod, invito te, habitus numerosus emendus,
572 stola, periscelis, et muraenula, flammea, Cyclas,
573 spirula, reticulum, mitellae, et Hyantina lena,
574 umbella, armillae, strophium, redimicula, zonae,
575 sericeae vestes, capital, stalagmia, spinther,
576 pecten, acus, forfex, caligae, sandalia, socci,
577 flabellum, torques, speculum, calamistra, nitellae,
578 ancillae, manni, mulae, phalerata pilenta ;
579 ulterius sed quid ? Plura his non dicta relinquo.
580 Procedit stibiata foras, compage supina,
581 aedificata caput, gressu circumvaga lento,
582 tota rubens phuco, facies ut vitrea fulget.
583 Haec super his tormenta malis adjungito : quodsi
584 uxor erit sterilis, semper tu, aut illa, quereris :
585 Heu, heu, nos miseros ! Orbi moriemur, et haeres
586 externus nobis succedet ; et advena nostras
587 marmoreas aedes et praedia culta tenebit.
588 Sin fuerit fecunda nimis, si saepe puellas
589 innumeras pariat, tanto majore dolore
590 creverit anxietas quanto numerosior est grex.
591 Hinc premeris cuinam hasce loces apteve marites ;
592 unde pares dotem aut unde alimenta daturus.
593 Ediderit si forte mares, tunc tempore toto
594 angeris ut bene sint nutriti, ut sint bene structi,
595 ut dites auri qua possis fraude relinquas.
596 Sin de plebe satus fuerit, si pauper uterque :
597 aut erit agricola, aut opifex, operasve locabit ;
598 nunc arat aut jungit tauros, vel aratra reportat ;

599 nunc serit aut occat, rastroque exossat agellum ;
600 vel spinis mundat segetes vel falce recidit.
601 Si sua Deiphobe, Nestor sua tempora praestet,
602 semper egens vivet, semperque laboribus instans,
603 fractus, inops, ventrem semper male pastus et aeger.
604 Hoc quoque vel gravius subiens uxorcule fatum ;
605 nunc suit, aut result, currit modo pectine telas,
606 pingit acu, aut purgat pannos, modo sarcinat, aut net ;
607 nunc deducta colo glomerat, patinas modo tergit,
608 aut scobibus casulam, sternit nunc vile grabatum ;
609 flaccida nunc natis plorantibus ubera praebet,
610 vel pecudes mulget, seu laeta in pascua ducit.
611 Si quandoque vacat festis exempta diebus,
612 exercet lassata choros, sudore liquescit ;
613 vel salit, aut resilit saltu sublata per auras.
614 Sis miser an locuples igitur, cuicumque sit uxor
615 numquam pax tecum tecto victura sub uno est.
616 Immortale tibi fuerit, dum viva, duellum.
617 Numquam lite torus, numquam tua mensa vacabit.
618 Connubium facies cum conjuge, ad ordine verso
619 pax, amor et requies facient divortia tecum.
620 Nam muliebri genus querulum, crudele, superbum,
621 molle, bilingue, vagum, inconstans, leve, mobile, praeceps,
622 impatiens, fallax, insulsum, debile, mancum,
623 lascivam, petulans, varium, intractabile, mordax.
624 Scire quid ulterius stimulas ? Est femina tota ars,
625 tota dolus, tota insidiae, temeraria tota,
626 totaque garrulitas, rabies, et tota venenum.
627 Irae odiique memor, gravis, impetuosa, cruenta,
628 lege simul cum mente carens ratione, modoque ;
629 quae voluit non vult ; quae noluit ipsa reposit.
630 Nunc sapit, inde furit, parcit modo, deinde refundit.
631 Hinc gemit, hinc ridet, tacet hinc, modo garrit inepta ;
632 nil sibi tam simile est quam quod sibi vana repugnat.
633 Quid plura ? Assidue studet hoc, hoc tendit ad unum
634 dedecori quo sit semperque molesta marito.
635 Si quid habes duri et maesto id sub pectore volvas,
636 haec sibi te infensum dicet stomachata furensque ;
637 si quandoque cibo abstineas, sordere tibi res
638 indignata suas clamat ; si forte graveris
639 a somno, Venere externa tibi languida membra
640 acrius improperat ; melius foret ergo catellam
641 pascere quam liceat, si sit morosa, fugare.
642 I nunc, et crucibus vitam his committe ligatus,
643 in Scythica tamquam laniatus rupe Prometheus.
644 Stultitia haec praeceps nonne est similisque furori ?
645 Imperiosa nimis dementia perdita et audax
646 defessam aggreditur mentem, licet ipsa repugnet.
647 Non alia inferior, duro at scalpenda metallo ;
648 quod sit tam tumidus quisquam, frontisque supinae,
649 tam vacui et capitis qui dum studet ire per ora,
650 monstrari et digito vulgi, summoque teneri
651 in pretio, vendit villas, vineta, bovesque
652 purpureas ut emat vestes, ut pendeat illi
653 picta clamis tergo vel serica pallia jactet.
654 Ad quid tot vestes ? Quid tanta insania cordi ?

655 Nullam aliam ob causam nisi vis abstrudere caecos
656 corporis infecti morbos sub tegmine ficto,
657 si quod foedum ulcus natura infuderit aut si
658 sub proprio vitium tumet pulmone locaris,
659 nam cunctis mos est ut quae sint manca vel aegra
660 impense occultent, veluti statuarius ipse,
661 si incidit in mendam, lignum vel marmora scalpens,
662 contegit id subito vitium ; si pictor aberrat,
663 dum fingit vultus, alio celer ipse colore
664 subtegit errorem. Muros caligine, fumo,
665 sive situ foedos albo incrustare solemus,
666 pigmentove alio, dum quod deforme tegatur ;
667 sic te, ni fatuus, cultu quandoque pigebit
668 exteriori frui quoties tecum ipse revolves
669 quid sub eo latitet ; vota improba, foeda, superba,
670 scilicet omne scelus. Nam nulla supinior usquam
671 ambitio visa est ; nec res insanior ulla
672 vestibus in Tyriis quam vanum condere fumum.
673 Praeterea quidam surdas jam reddidit aures,
674 ut sua sit nostris augusta ignavia chartis
675 illita, ne pereat longi sub dentibus aevi.
676 Scribone vel taceo ? Sed dicam. Hic, iudice se ipso,
677 pendit se tanti, de se praesumit et audet
678 ut credat cunctos homines superare politis
679 moribus et cultu et forma et sermone rotundo,
680 ut decus omne suum Superis, ut lumina Phoebos
681 subtraxisse putet, forma superare Napaeas.
682 Obvia si specie insignis fit forte puella,
683 componit subito crines, componit amictus,
684 prospicit ut deceant gressus, oculi, ora, manusque ;
685 si confert oculos oculis, si laeta, petulca
686 molliter arrisit, tunc se speculatur ubique,
687 tunc placet ipse sibi nimium bellusque videtur.
688 Jam sibi rem factam, demens, votoque potitum
689 quam male conjectat. Voto potiatur et ipso :
690 sit formosus Hylas, Nireus sive alter, Adoni
691 huic Charitum numen, Veneris se gratia tota
692 fuderit ubertim, proprio spoliata decore ;
693 dic, rogo, capte oculis, quid tandem talia prosunt ?
694 Nonne vides quam forma fugax, quam labilis et quam
695 currere festinet raptim, velut umbra, juventae
696 flosculus ? Ut sole exustus gelidave pruina
697 languidus et tenui vix ortus decidat aura ?
698 Quid nam opus est monitu ? Nonne haec manifesta quibusque
699 quam cito, quam velox haec florida praeterit aetas ?
700 Gloria nulla magis mendax quam forma ; nec ullum
701 est brevius quam forma bonum ; nunc ridet amoeno
702 flore nitens, at mox, oculis mirantibus ipsis,
703 subducens furtim sese evanescit. At ecce
704 jam subeunt rugae, subrepunt vertice cani,
705 cincinnique cadunt, perdit coma flava nitorem.
706 Livescunt dentes, aurisque obtusius audit.
707 Labra, genas, nares, vultus, frontemque serenam
708 invadit pallor marcens et lumina clara
709 fusca tegit nubes, dorsum curvatur in arcus,
710 aut, heu, mors latitans successibus invida nostris

711 obsidet incautos, semper cervicibus instat,
712 imminet et tergo tenebris obducta silensque
713 dum nil tale times, simulat dum longius esse,
714 ecce fores pulsat, jam rupit limina, jam te,
715 sive bibas epulisque vaces somnoque jocisque,
716 confodit, o dirum, o ferum, et implacabile Numen.
717 Ergo cinis pulvisque vagus tua laeta juvenus,
718 sive erit hoc senium, fiet nova fabula ; sic tu
719 vivus et exstinctus fatuos numeraberis inter.
720 Est nova stultitiae species celebranda tropaeis,
721 historiis cantanda novis calamoque sonanti,
722 quae tantum invaluit stirpe et radicibus altis
723 divelli ut nequeat quoquam nec robore nec vi.
724 Hi sunt, qui patriam dulcem propriosque penates
725 aufugiunt, quo se per celsa palatia regum
726 perque domos patulas augustaque tecta potentum
727 insinuent, tumidi ut vigeant popularibus auris,
728 purpurei incedant, fastu comitante decoro,
729 se dominos rerum credant penitusque beatos,
730 nidorem olfaciant, quem fuderit uncta culina.
731 O stulte, o demens, quam te tua cura fefellit !
732 Promam ego vel taceam, miserande, incommoda vitae ?
733 Talia mens quamvis stupeat meminisse loquendo
734 nemoque tam durus, vacuus pietatis et expers
735 ut, dum forte refert tot questus totque dolores,
736 contineat lacrimas et ad has non concitet ultro ;
737 pauca tamen dicet, nec erit millesima pars haec.
738 Heu, quam grande nefas, quam o lamentabilis error
739 esse homines adeo fatuos adeoque caduco
740 lumine, ut incauti, sensu et ratione carentes,
741 captivos sese efficiant, sua jura relinquunt,
742 libertate cadant propria, dent colla capistro,
743 sponte jugum subeant, et vincula dura subintrent,
744 assiduos discant patienter ferre labores,
745 duraque servitia et minimum distantia morte,
746 ad somnum alterius parvam captare quietem,
747 ad stomachum domini cenam differre famemque,
748 se spoliare suis, externos sumere mores,
749 inque novos ritus sensim mutare priores,
750 nolle ac velle suum, se invito, saepe negare,
751 denique, cum dominus cantat, pariterque canendum ;
752 ridendum, si ridet herus ; rursusque dolendum,
753 si dolet ; atque suam faciem te sumere oportet.
754 Quod negat ipse, <putat> dura cum fronte negandum ;
755 si probat haec, rursus (quamquam sint falsa) probanda.
756 Si cacat aut ructat sive id quod dicere nolo,
757 assensu et plausu risuque et voce sequendus.
758 O misere, o nebulo, vacui o curruca cerebri !
759 Si tuus et liber, cur te, furibunde, locasti
760 aut pretio aut gratis potius, positoque decore,
761 te ut venale pecus domini ad praesepe ligasti ?
762 Quo stomachum laxes, ventremque famelice pascas ?
763 Credin apud proceres et magnae nomina famae,
764 ut ganeata tibi et saliaris mensa paretur ?
765 Talibus en surgunt vota oppugnantia votis :
766 quando subis primam cenacula sive diaetas,

767 omnia plena scobis et stercore foeda canino ;
 768 unctum vestibulum est, uncta ostia, limina, postes
 769 scanna, solum, tripodes, armaria, cista, cathedrae,
 770 sunt unctae patinae, ciati, mantilia, mensae ;
 771 saepe canes videas lingendo figere dentes
 772 tanquam illinc aliquid se sugere posse putarint.
 773 Tam male, tam grave olens odor est, tam taetra mephitis
 774 naribus insultat, stomachum ut quasi nausea vertat.
 775 Cum vero accumbes, baculo resonante vocatus,
 776 undique truderis trudentemque ipse retrudis,
 777 dum mensas onerant primum, dum pocula ponunt,
 778 faex Laletana datur sitiienti, et lora secunda,
 779 aut acre omphacium, vel vis mordentis aceti,
 780 vel quod in ardenti fastidit sole bubulcus.
 781 Mucida deinde Ceres, panis vel nauticus, et quem
 782 furfureum dicunt, postrema in classe locatum,
 783 qui dentes agitet validos malasque fatiget.
 784 Hinc vaccina caro fertur circumlita spuma,
 785 bubalus, atque caper, lardum, succidia, vervex.
 786 Quae tam dura cutis, tantum contracta, tenaxque,
 787 vix in ea ut gladius, possintque intrare molares ?
 788 Fercula deinde ruunt, pultes, et pingue polentum,
 789 jureque in hesterno caules venere recocti.
 790 Seu natalis erit, seu lux genialis agatur,
 791 sive dies celebres Saturni advexerit annus,
 792 sive parentales, seu laeta charistia fiant,
 793 vacca aderit semper, semper caro prompta suilla.
 794 Si carne abstineas, divino ex ordine jussus
 795 pelamides, trichiae, cordilae et aristula, thynnus,
 796 allia, caepa, cicer, lactuca, cucurbita, bulbi,
 797 rapa, fabae et milium veniunt pictique faseli.
 798 Sed quom Pascha redit, carnes rediere bovillae.
 799 At dum conflictum dentes coepere minaces,
 800 lingua tacet, maxilla fremit, manus utraque fartit,
 801 ut videre cibum ex ardenti poscere flamma ;
 802 sic tua milvina est, sic est tua cena canina
 803 ut potius cupias Cyprii bovis esse merendam.
 804 O mala condicio vitae, miseranda vel orco !

LIBER SECUNDUS

T_2 v.1 Hactenus ancipitis temeraria vota juventae,
 2 nunc mage stulta canam tragico comitanda susurro
 3 quae male agunt homines, retinet quos grandior aetas.
 4 Haec dum plus sapere, ac dum noscere plura deceret,
 5 tunc magis insanit, caeco raptata furore.
 6 Quando igitur jam vir, firmato robore adultus

7 exstiteris, majora petes, graviora sequeris
8 quae sunt plena metus, vani quoque plena laboris,
9 plenaque stultitiae sterili sudore paranda
10 regna, magistratus, fasces, vel dura cruenti
11 proelia Mavortis, causas et pondera rerum
12 grammata, rhetoricen, vel munera sacra poesis,
13 aut medicas artes, nodosa volumina legum
14 nescius affectas ; et quae mensura quibusque,
15 non data mortali tentas vel nosse futura,
16 aut, mage quod fatuum est, naturam vertere rerum,
17 ad tua vis furvos manes accedere jussa.
18 Quid deus, et caelum stolidum cum mente vagando,
19 scrutaris dubius, penitus quod scire negatum est.
20 Denique divitias, et sacros quaeris honores.
21 Cuncta haec, si nescis, fastidia vana, timores
22 taedia, cordolium, poenas, tormenta, necemque
23 sunt latura tibi ; causam, si admiseris, edam.
24 Me prior Heroum coetus, Regumque verenda
25 majestas stimulat renuentem scribere de se.
26 Si foret huic generi cordis semiuncia sani,
27 vita ulla in terris gravior, nec tristior esset,
28 nec fugienda magis quam regum ; si bene vult rex
29 pendere quid deceat regem, quam grande, molestum,
30 quam grave sustineat pondus, cervice subacta.
31 Quisquis enim clavo affixus populisque regendis
32 praesidet et rerum flectendas coepit habenas,
33 non sua sed populi tractanda negocia sumit,
34 consulat in medium sint publica commoda curae :
35 ad commune bonum pronus, communia vota
36 compleat, oblitus propriis hoc pectore in ipso,
37 hoc menti insideat numquam de limite recti
38 latius ungue trahi, trutinæ ne examen iniquae
39 pendeat, aut titubet quoquam ; sed, legibus ipsis
40 testibus, exsolvat damnetque errata nocentum.
41 Ast haec - proh, facinus ! - petulans insania tantum
42 obcaecat miseros, sacrae ut vestigia nusquam
43 justitiae videant ; sed foeda et taetra libido
44 imperat, ut domina, et quidquid jubet illa, sequentur.
45 Inclusi thalamo nolunt admittere quemquam,
46 ni fuerint scurrae, cantores, scorta, cinaedi,
47 qui jucunda ferant, lusus, risumque, jocosque,
48 ne quid solliciti laetantia tecta subintret,
49 molliter interea se curant. Cena paratur
50 splendida, regales epulae, vel prandia lauta.
51 Vina bibunt, rebibunt, fiuntque repotia mille.
52 Deliciis capti dum sunt, nec publica cura
53 nec populi subeunt animo nec sceptrum regenda.
54 Omnia committunt caelo curaque deorum.
55 Principis officium et partes implese putarunt,
56 si innumeros pascant famulos aut agmen equorum
57 sive novum aucupium possint reperire vel artes,
58 unde suos cives expilent, unde cruorem
59 innocuum eliciant, ditent quo viscera fisci.
60 Inde fames auri et numquam satiata cupido
61 nulli plus nocuit quam regibus atque tetrarchis ;
62 quo magis uberius biberit, tanto illa sitit plus.

63 Dum cupit ulterius latos protendere fines,
64 aestuat optatis animus semperque rotatur.
65 Omnibus indicit bellum, post intulit et vim.
66 Finitimos regno spoliat, semper tamen ultra
67 procedit, nec novit adhuc ubi sistere possit.
68 Possideat esto quicquid Tagus abluit undis
69 et quod Bessus, Arabs, Astur rimatur et Indus
70 quodque sub auriferis volvit Pactolus arenis ;
71 et si Parrhasios domitet tua dextra Triones,
72 auroram et Gades teneas ; Taprobana victa
73 serviat et Nasamon Numadesque et zona perusta ;
74 denique si penetres nostroque ex orbe remotos
75 viceris antipodas vel si quos terminat auster,
76 umbrarum dominum pallenti truseris aula,
77 jeceris indomitus captivo brachia caelo,
78 atque sua unanimes Superi te sede locarint ;
79 feceris haec liceat cumulatis omnia votis,
80 plura tamen cupies, numquam satur ipse futurus.
81 Hoc quoque vanum opus est et non lustranda phrenesis.
82 Ecce ruit praeceps omni praelata furori
83 improba stultitia haec, qua nulla insania major.
84 Mentibus haec hominum tantum blanditur et offert
85 ut trahat intrepidus durae violenta subire
86 munera militiae et Martis tractare tumultus,
87 innocuo foedare manus gladiosque cruore
88 et vitam atque animam parva stipe vendere morti.
89 Audi, quisquis adis animoso pectore bella,
90 haec primum impietas sese subeuntibus offert :
91 est linquenda domus, genetrix, nati, uxor, amici.
92 Sive pedes vel eques vel lixa, gregarius aut sis,
93 sis ductor, sis rex, sit curae exercitus omnis,
94 qua pace aut requie frueris, cum semper in armis,
95 semper in ambiguo semperque laboribus instes ?
96 Semper aperta subis discrimina, semper aperta
97 cum nece pugnandum, fundendus spiritus et mens :
98 nunc altos superas montes, nunc tendis ad arva ;
99 et modo valle lates clausus, modo flumina transis ;
100 nunc mare Tyrrhenum premitur fluctusve Sicani ;
101 nunc sinu in Adriaco graviter spumantibus euris
102 pugna ineunda tibi ; sed mox tu curris ad Istros
103 aut Antenorei vada sunt superanda Timavi,
104 seu qua Benacus seu qua Padus effluit undas ;
105 vel qua Sapis arat, vel pingua Ariminus arva ;
106 seu qua dura rigent Picena et Feltria saxa
107 est sedes mutanda tibi semperque novanda.
108 Hospitium aedificas, cui mox tu subjicis ignes.
109 Nunc tuto ponenda loco, nunc castra movenda,
110 nunc struitur vallum, nunc pontes, fossa vel agger
111 nunc curantur equi, nunc impedimenta reponis.
112 Ponendae excubiae, vigilandum in nocte rigenti,
113 exploratores statuendi, aut itur aquatum
114 aut frumentatum, praedatum aut hostibus escam,
115 aut numerus lustrandus erit legioque videnda ;
116 et modo praesidium mittis quandoque requiris.
117 Numquam deest quid agas, semper nova munia surgunt.
118 Nunc acies ac vis dictis, nunc ala globusque

119 est alio vertenda loco, quacumque vocat res.
120 Nunc muros fabricae tormentaue bellica scandunt
121 nunc agitas clausos, nunc obsidione teneris ;
122 aut struis insidias vel retia tendis in hostem ;
123 nunc certatur aqua, modo fit conflictus in agro.
124 Classica nunc stimulant torpentem, aut linquere signa
125 irritant pavidos et vestigare latebras ;
126 ignea sulphureas nunc fundit machina glandes.
127 Quot scloppi et bombi, quot ibi discrimina vocum !
128 Hinc premis, hinc premeris, fugis hinc, hinc hostibus instas ;
129 nunc pateris vulnus, nunc hoc infligis in hostem.
130 Saepius et noctu dum paulum forte quiescis,
131 ingruit armorum strepitus, clamatur ad arma :
132 "Arma, arma, arma cape, insta, firma, percute, perde,
133 impete, verte, feri, spolia, rape, pelle, caveque,
134 irrue, curre, seca, lacera ; properate, volate,
135 quanta ibi, - proh, Superi,- litui, tuba, tympana, cornu
136 murmura diffundunt ! Tonitrusque per aethera quanti !
137 Qualis ibi est feritas ! Fusi quam larga cruoris
138 copia ! Quot gemitus ! Caedes bacchantur ubique.
139 Bellorum eventus dubii, sors dissona rerum".
140 Vinceris aut vincas, animo confusus et amens
141 exsecrare Deum numen vel templa profanas.
142 Vel tumidus fastu Superos nec daemona credis.
143 Talia quid, rogo, sunt, nisi mors, nisi fabula, ludus,
144 taedia, cura, labor, praestigia, gloria fallax ?
145 Sunt qui inter doctos primas asciscere partes
146 atque sibi solis sapientis nomina certent.
147 Haec hominum species quaedam dura, hispida, tristis,
148 semper sola, vagans, secretae silentia rodens,
149 obstipido vultu ac oculis et fronte recurva,
150 palliolo vilique habitu barbaque verendi ;
151 se solos sapere insimulant solosque deorum
152 nosse arcana putant et vertice tangere caelum,
153 mortales reliquos, umbras volitare furentes ;
154 quam bene delirant miseri cum fingere mundos
155 innumeros audent, dum solem, sidera, lunam
156 atque orbis alios veluti sub pollice tractant ;
157 unde fluant imbres, tonitrus, vaga fulmina, venti ;
158 materies prima, ideae, sejunctaque forma,
159 causarum series, privatio, quidve habitus sit,
160 quidve actus peragat, quidve ipsa potentia possit.
161 Quid sit communis sensus, phantasmata, imago,
162 pars memorans quae sit, vel quae res aestimat ipsas
163 qui intellectus agens, cui nota potentia quis sit ;
164 quis retinet praxim, vel qui speculetur ad alta ;
165 ane movens pariter cum moto detur inesse.
166 Quis regat aethereos motus mundamque jacentem
167 an sors, vel fatum, casus, fortuna deusve.
168 Non aliter tales praesumunt reddere causas
169 ac si praecipites illos clementia Divum
170 truserit in terras sua quo sapientia grandis
171 consuleret generi humano ne forte labaret
172 stultitiae in lubrico ; verum hos dum pandere temptant
173 secretos sensus et singula semina rerum,
174 effuso insequitur deus et natura cachinno.

175 Sic, qui grande sonant sophos ampullosaque verba,
176 sunt jocus in terris ridendaque fabula caelo.
177 Insidiosa vocat si te dialectica, si te
178 argumenta juvant mendaci tecta colore,
179 circumagat quem vis ars ficta et blanda ligatrix,
180 eludant stupidos tua docta sophismata sensus,
181 subdola vafrities verborum structa paratu
182 implicet attonitas mentes et pectora caecis
183 involvat latebris, aciemque et lumina stringat ;
184 anfractu dubio pellax versutaque lingua
185 nunc mera sub veri facie mendacia pingat
186 demonstrat rursus falsi sub imagine verum ;
187 has dum vel similes moliris saepe chimaeras,
188 dum quaeris quid sit subjectum, copula, verbum,
189 quid genus et forma est, species, distantia, quidve
190 accidat, aut proprium est, totum, discretio, partes,
191 aequivocum, univocum, substantia, terminus et vox ;
192 quis locus, aut situs est, habitus, quid passio, quidnam
193 actio, quidque prior, postrema, illatio, sumptum,
194 saepe neganda minor, majorem saepe refellis,
195 asseris en iterum, quod tu paulo ante negaras.
196 Et quia saepe cadit logicen nescire latine
197 ipsa soloecismos, sub Barbara, subque Baroccho,
198 sive Paralipton, Fapesmo, Frisesomorum
199 congerit ; o nimium pedecosa, o rancida verba !
200 Garritu at postquam longo altercantia tela
201 concurrere simul temere, inconclusa furensque
202 utraque pars remanet, vulgi contenta ruentis
203 plausibus. O superi, quam caeca insania mentes
204 concitat humanas, et nescia vivere corda !
205 Tu gerras tandem populo mirante locutus
206 gerrae eris, et pariter fiet dialectica nugae.
207 Quisquis es usque adeo patiens, delirus, et excors,
208 suscipias ut onus vel munera saeva docendi,
209 quo juvenum mores, sensus, animumque labantem
210 assiduo cultu firmes, obtusaque corda
211 ingeniumque ac vas lima meliore politum ;
212 quid sit opus videas. Etenim dum vile subintres
213 officium, exserto clamandum saepius ore :
214 nunc legis, aut relegis, variataque themata dictas,
215 nunc decies dictata doces, nunc saepius idem
216 improbus et petulans de re te obtundit eadem.
217 Nunc mimmos levitate refers, gravitate Catonem ;
218 nunc Simo, mox Biria est, subito tibi Davus agendus ;
219 Pallada nunc simulas, nunc est simulandus amator ;
220 nuncque greges inter puerorum saeptus ubique
221 noctua ut inter aves ; struis hunc, modo corripis illum.
222 Percutis hunc ferula, colaphis hunc, huncque flagello ;
223 garritu horrisono surdus, defessus et amens,
224 assiduo in ludo versaris pulvere mersus,
225 pistrino at potius dicam, seu carcere nassae.
226 Denique nullum animal terris afflictius isto,
227 nec magis est querulum, nullique immitior est sors.
228 Nam postquam ipse studens chartas evolveris omnes,
229 stultus adhuc dubitas sit necne gerundia nomen
230 an verbum potius, saeta est an lana caprarum.

231 Haec et multa simul fueris dum taedia passus,
 232 mingendi venia est, (parcas) et danda cacandi,
 233 et nisi stultitia haec misero solacia ferret,
 234 leniretque animum demulcens ora caputque,
 235 jam te praecipitem quoquam fortasse dedisses.
 236 Nonne opus hoc vanum ? Nonne haec sunt signa furentis ?
 237 Est quoddam huic confine genus, quod rhetoricari
 238 fertur, in hoc constant pictae commercia linguae.
 239 Quicumque hoc studium sequitur, sua vertitur huc mens,
 240 totus et huc pendet, quo possit pectora suasu
 241 atque voluntates hominum in diversa movere,
 242 transformare animos, ut quod modo quisque volebat,
 243 nunc renuat penitus, nec se cognoscat eundem.
 244 Sit genus omnivocum, variatum schema figuris ;
 245 sit status, inventus, sint apta exordia, partes,
 246 effigies, habitus, facies reverenda, movensque
 247 cum motu faciles gestus, prolatio captans,
 248 vox, sonus, eloquium ; sermo violentus et acer
 249 impellat quocumque velit, rursusque reducat,
 250 in vultum faciemque aliam sensumque revolvat,
 251 ludificet, capiat, palpet, compellat, inescet,
 252 nunc trahat ad lacrimas, rabiem nunc concitet, et nunc
 253 in risum gemitus, in planctum gaudia vertat,
 254 ampliet, imminuat, rursusque minuta resumat,
 255 diluat, injiciat scrupos, ambigua tollat :
 256 non tamen ulla fuit tam florida lingua potensque,
 257 ulla nec est, nec erit tam blanda et picta loquendi
 258 suasio, quae valeat mortis mulcere sagittas
 259 ne te confodiant neve os, quod saepe solebat
 260 flectere mirantes populos quocumque vocaret,
 261 mutescat, subiens aeterna silentia. Sic te
 262 mellitos fandi modulos, artemque sequutum,
 263 et nugae steriles et fabula vana sequetur.
 264 Si te Musarum cantus, si augusta Poesis
 265 detinet, obdura, patere, et mala ferre parato,
 266 algores, aestus, insomnes ducere noctes,
 267 ferre sitim, tolerare famem, duosque labores.
 268 Si immortale cupis, si tu indelebile nomen,
 269 illinis aut chartas nugis, aut carmina cedro
 270 digna facis, quae docta probet censura vel acri
 271 iudicio placeant ; haec dum meditaris, in alto
 272 pectore mille cadunt tormenta et mille furores.
 273 Addis et immutas, adimis, vel adempta reponis ;
 274 nunc legis, aut repetis, rursus repetita refellis.
 275 Follibus assiduis semper fumante camino
 276 materiem recoquis, decoctam verberat instans
 277 malleus, et format, semperque retunditur incus,
 278 et toties eadem renovas totiesque recudis,
 279 ut prodire foras, solitumque relinquere nidum
 280 non liceat, denos ni sint excussa per annos,
 281 unde oritur labor aeternus, cruciatus et angor
 282 dum mentis dubio piscaris verba meatu.
 283 Si cantu Aonidas superes, fidibusque canoris,
 284 Mercurium lingua, Charitesque et Pallada cultu,
 285 sique tuas felix chartas opulentia linguae
 286 pingere et innumeris certet ditare figuris,

287 sive voles carmen deducere paupere filo
 288 seu teneas medium, curras seu gurgite pleno,
 289 sermo potens valeat quocumque inflectere cursum,
 290 et florere nova semper sub imagine, quid tum ?
 291 Quid tandem ? Cum sit nisi fabula tota poesis
 292 fabula carmen erit, simul et tu fabula fies.
 293 Artem aliam Deus et rerum natura repertrix
 294 instituere sacram qua languida corpora morbo
 295 eriperent quovis, propriae reditura saluti.
 296 Haec tibi si placeat, placet ars quae digna polito
 297 ingenio sapiat quodcumque humana sapit vis ;
 298 omnia aperta tibi quidquid medicina recondit,
 299 intima naturae vel rerum pondera noris.
 300 Hippocrates fias, fiasque Machaone major,
 301 quas et Philyrides vel quas Epidaurius herbas
 302 noveris et quidquid praesagus novit Apollo ;
 303 sisque salus orbi ; fas sit tibi ducere ab orco
 304 extinctos homines iterumque animare sepultos ;
 305 nomen, opes, famam cumules hac arte perennem ;
 306 sed quoniam dulcor de vertice prodit eodem
 307 a quo et amarities, series quam longa malorum
 308 mixta voluptati parvae est, incommoda multa
 309 sunt subeunda tibi, subeundi mille labores :
 310 volvendi assidue libri semperque studendum
 311 quae noceant aegris, vel quae sibi pocula prosint.
 312 Dum pascis ventrem, dum mitra vina resugis,
 313 dum gratus sopor est, dum molliter ipse quiescis,
 314 nuntius ecce fores pulsat medicumque requirit,
 315 accelerare jubet, jam properare, venite,
 316 rumpitur aegrotus, jactat vexata dolore
 317 membra toro, moritur. Surgendum nocte dieque,
 318 tangendi pulsus, aut olfacienda matella est ;
 319 suntque paranda cito antidota et catapotia mille,
 320 pharmaca, pyriases, fomenta, enchrysta, malagma,
 321 turundae, emplastrum, strigmenta, amuleta, trochissi ;
 322 nunc curanda phtisis, causon, nunc emitritheos ;
 323 nunc stupor, aut spasmus, myrmecia, pustula, phlegmon
 324 pappula, tonsillae, vel psora, epinyctides, antrax,
 325 tormina, vel ramex, vel syncopis, encherocellae,
 326 nausea, pituita et mentagra, algema, synanchis.
 327 Feceris at postquam quicquid jubet ipsa medendi
 328 norma, nisi valeat subitoque revixerit aeger,
 329 murmurat insipiens vulgus linguaque loquaci
 330 obloquitur de te, convicia talia jactans :
 331 Hei mihi, quam stultum est medicorum credere nugis !
 332 Cum saepe hos videas morbo laborare molesto,
 333 pallere assidue, vultuque referre cadaver,
 334 nec sibimet proprias, aliis prodesse nec artes,
 335 quare nulla suis succis adhibenda fides est,
 336 cum raro prosint lateatque abstrusa sub his mors.
 337 Adde quod est gravius, versari semper oportet
 338 inter funestos, inter contagia morbi,
 339 solari afflictos semperque levare dolores.
 340 Nec nasum crispare licet, stimulante cachinno,
 341 si quandoque furit vitiatis sensibus aeger.
 342 Hic labor, hoc studium quidnam nisi fabula vana est ?

343 Quoddam aliud studium tacitus transire parabam,
344 ne mihi clamoso strepitu pertunderet aures ;
345 sed tot cautelis laqueat, tot funibus et spe
346 me ligat incautum, circumvenit atque capistrat
347 elabi ut nequeam quin de se pauca cantem.
348 Seu bona seu mala sint, parcant quocumque ruat sors ;
349 aestuat haec semper rava et verbosa propago
350 eruscare aliquid quo lites suscitet ; hae si
351 defuerint, format, gignit, disseminat, armat,
352 orditur trama, semper nova stamina textit,
353 committit socios, idemque agitare parentes
354 cum natis stimulat, sancto quoque foedere amicos
355 dissociant junctos, fratresque lacessit ad arma.
356 Et cuicumque fores pulsat qui consilium vult,
357 aurea verba dabit, vincendi nutriet hunc spe,
358 dum modo quod rapiat misero videt esse clienti,
359 arridet, palpat, suadet, blanditur, inescat,
360 pollicitis ditat largis, redditque beatum.
361 Dicturus causam dum venerit ante tribunal,
362 intonat exclamans, infrendit, vociferatur ;
363 incedit tumidus grandi cum fasce librorum
364 dirigit huc aciem, studioque intentus in uno est
365 ut parti oppositae tragulas et retia tendat,
366 consulat ambabus, partes emungat utrasque.
367 Et modo defendat rectum (raro tamen id fit)
368 nunc fronte obdura rigidaque tuetur iniquum,
369 credulus interea litis sectator et in spe
370 dependens totus loculos exenterat ipsos,
371 patrono infundit nummos iterumque refundit.
372 Longius hinc lites dempto jam fine trahuntur,
373 dum superest aliquid succi, quod torqueat inde.
374 Tun igitur leges nodosaque jura Quiritum,
375 tun passus dubios et caeca aenigmata discis,
376 tota nocte vigil sinuosa volumina tractas
377 ut discas spoliare tuum sub mane clientem,
378 fallere vel viduas, pupillos pellere tecto ?
379 Duxeris ambiguos sensus quacumque vocat res ;
380 componas melius lites et acutius omni ;
381 emeris armentum, vineta et praedia, villas ;
382 denique numatus montes congesseris auri,
383 quae postquam fueris studio properante secutus,
384 non labor hic vanus ? Non haec insania grandis ?
385 Insuper ingenita est dementia tanta quibusdam
386 ut totum absumant tempus, dum vita superstes,
387 mensura et numero semper renovando figuras.
388 Qui sunt tam fatui capitis vacuique cerebri
389 metiri ut sperent quam lata palatia caeli,
390 quantum conclave est, divini ubi sancta senatus
391 turba coit, superi quam lata anabathra theatri,
392 quanti solis equi, quam lata epicedia lunae,
393 quam Veneris distent violaria Adonidis horto,
394 quam Jovis intersit thalamus Junonis ab aula,
395 quamque vireta deum, quam longe silva nemusque
396 saltibus Elysiis distent. Proh, stulta laborum
397 congeries ! Et cur non haec quoque scire putetis
398 quam Jovis os latum, quam lumina, nasus et aures ?

399 Dic, rogo, ob hoc numeros, geometrica signa, mathesim
 400 sedulus ediscis quo tu haec tam frivola noscas ?
 401 Respondes quod non ; sed te meliora studendo
 402 quaerere ; quam centro terrae distantior absit
 403 summa superficies, cadat et distantia quanta
 404 inter utrumque polum, quantave indagine tellus
 405 discrepet a Superis, quam latum Doris ubique
 406 protendat gremium, quam longo ducta recurrant
 407 sidera circuitu, quo motu pulsa vagentur,
 408 quod spatium admittant aspectus, signa, planetae.
 409 Cetera quae id genus sunt te ardenti exposcere voto.
 410 Esto, age, cuncta tibi nota et manifesta pateant.
 411 Quid perpendiculum, radius, quid regula, punctum,
 412 linea, et anfractus, facies, diametra, figurae,
 413 schema, parallelae, ac ergastica, prisma, cylindrus,
 414 pyramides, rhombus, quadratus, sphaera, columnae,
 415 angulus, occedros, cubus, atque anagrapha, trigonus,
 416 pondera, mensurae, dodrantes, uncia, sextans,
 417 scripulus, et siliquae, semissis, drachma, duellae,
 418 sextula, sicilicum, centussis, mina, talentum ;
 419 tessera quid capiat, sextarius, amphora, mistros,
 420 hemina et modius cyameque et cotula, congi ;
 421 quid teneat digitus, quid palma, vel uncia captent.
 422 Sextaque, pes, cubitus, passusque, decempeda, clima ;
 423 quantum sit stadium, centuria, jugera et actus.
 424 Noveris an tellus sit concava sitne globosa,
 425 planane, vel forsan sicut pila forma rotunda ;
 426 deliquia an solis populo vicina Britanno
 427 aurorae cives videant, an facta sub ortu
 428 incola Juvernae postremaque littora cernat ;
 429 an populi medii, quos fascia continet ardens,
 430 diversos videant ortus, ac sidera cuncta ;
 431 an ne pares luci comprehendant currere noctes ;
 432 bisque hyemem rigidam vel bis patiantur et aestus ;
 433 cur brevis in Pharia Meroe, cur longior exstet
 434 occiduo sub sole dies an, nube remota,
 435 lumen ad arctoum penetret gens nata sub austro.
 436 An qui Parrhasio sublimi in vertice degunt
 437 antipodum subolem (si qua est) et limina spectent ;
 438 non tamen inde tuae, nosces spatia ultima vitae.
 439 Namque ignotatibi mors insidiosa latensque
 440 improvisa aderit quae te nova signa, novasque
 441 mensuras doceat, quam lata est cymba Charontis,
 442 quantaque sunt Stygio Plutonia regna sub antro.
 443 Incola sic foveae restas mensorque sepulchri.
 444 Denique nil aliud de te nisi fabula, fumus.
 445 Sin vero aethereos sensus praesagaque caeli
 446 sidera in humanos multum facientia casus,
 447 divinosque aditus penetrare et nosse putasti,
 448 tunc bis te stultum dicam, bis mente carentem.
 449 Quid bis ? Immo quater deciesque es stultus et amens,
 450 mortalis quum sis, quaeras secreta deorum.
 451 Num quid tantum audax, tumidus mentisque supinae es
 452 ut caelo caput insertes et more Gigantum
 453 quod proprium est Superis, violens arripere tentes ?
 454 Dic, insane, precor, dic, o vanissime, quonam

455 edoctus pacto fueris quid sidera donent,
456 quid tollant homini, quae sunt mala, quaeve benigna ?
457 Num Superum cuneos scandens per inane pense
458 consuleres quo tu stellas et numina Phoebi
459 quid statuunt de sorte hominum ? Vel sidera credam
460 e proprio disjuncta loco venisse per orbem,
461 ut tibi monstrarent praesagia sancta Deorum ?
462 Quid contra inculcas afflatos luce superna
463 astrologos servasse diu lucentia caeli
464 lumina, dum cursus facerent facerentque recursus,
465 et varios inde effectus didicisse secutos,
466 propterea pinxisse suis miracula chartis ?
467 Inflatu at potius fumoso numine Bacchi
468 atque mero attoniti nugae praxere patentes,
469 quae ignarum caperent vulgus dum nosse futuros
470 se putat eventus rerum ; tam caeca sua est mens
471 tantaque credulitas ac spes tam prona fidesque.
472 Esto, age, vera sit ars (quamquam veram esse negarim),
473 si praescire cupis cuiquam quid spondeat astrum,
474 insurgunt toleranda prius fastidia mille,
475 dum reperire studeas quae stella horoscopet et quae
476 sit domina, aut quaenam fuerint hylegia, quemve
477 dixeris ad cocodem ; vel qui statuuntur aphaetae,
478 quae pars fortunae, quae solis, quae loca Phoebes,
479 erroneae latitudines quam sunt, ecliptica quanta est ;
480 absides et quanti, quanti orbis, quanti epicycli,
481 anthisia et quae sint, quae sint monomiria, partes.
482 Dum modo metiris, numeras modo, colligis, aufers,
483 dum restas dubius, perplexo examine pendens,
484 falleris, insanis, erras, et totus in ira,
485 fermentum totum tabulas et scripta rescindis,
486 tunc nova cura oritur, semper nova taedia surgunt ;
487 et si affixa comes fuerit patientia, fallax
488 iudicium facies, vero quod longius absit.
489 Sed quae nam levior referas, quae insulsior ista
490 stultitia esse potest quam quod reptare fateris,
491 per caelum pecudes, tauros, delphina, leonem
492 ursosque et lepores, capras, chirona, canesque
493 aurigas et equos et cancrum, scorpion, angues ;
494 caelicolae tamquam servant armenta gregesque.
495 Cur quoque non asini caeli super astra locentur
496 ruditu ut plaudant quoties ascenderit illuc
497 Oleniae astronomus quo mulgeat ubera caprae
498 seu quo longa nimis Phryxelia vellera carpat,
499 aut videat morsu si leserit Ursa Bootem ?
500 O caput exhaustum, dic, o vanissime, nonne
501 turba deum pavitans tam grandia monstra videndo
502 se daret in praecipitium caeli declive per altum ?
503 Sic tu deliras sanus, si forte putasti
504 innixus terris Superum terebrare latebras.
505 Nonne haec inscitia est risu celebranda perenni ?
506 Arte sub alchimica referam vesania quanta est
507 quantum homo sit demens ut speret posse metalla
508 in speciem mutare novam ; et sic fixa resolvi
509 foedera naturae, nullum varianda per aevum.
510 Dum parat hanc sacram longis ambagibus artem,

511 materiem primo fermentum elementaque mixta
512 conterit et totum cogit sub corpore corpus.
513 Hinc condit vitrea ferventem pixide massam,
514 innumerosque struit varia sub lege caminos ;
515 post igne assiduo solvit resolutaque durat,
516 nunc iterando vices, rursus durata resolvit ;
517 nunc lentos adhibet, gravius nunc duplicat ignes,
518 follibus assiduis sufflat rursusque resufflat.
519 Nescius et variis confundit singula rebus,
520 abluit, humectat, purgat, madefacta resiccat,
521 hinc coquit et recoquit, despumat, contrahit, auget ;
522 et modo ridet opus, modo flet, modo dormitat, aut net.
523 Nunc tepet, aut bullit, fumat, vomit atque tumescit.
524 Nunc aqua fit pulvis, nunc tellus sicca fit unda ;
525 aere nunc ignis, nunc flamma nascitur aer ;
526 ignea nunc terra est, subito fit terreus ignis ;
527 hinc iterum mollit, vegetat, vegetando maritat
528 vertit et in calcem, siccoque vapore fugato,
529 in liquidam transformat opus, mox figere tentat.
530 Sic modo materia haec moritur, modo viva resurgit ;
531 frigida sed postquam coeunt sociata calori,
532 concipit, est pregnans, peperit, modo menstrua sentit.
533 Denique cum tracta hinc essentia quinta videtur,
534 dum tibi rem factam credis jamque esse creatum
535 elixit, lapidem te sublimasse beatum,
536 qui jam non lapis est, sed re pretiosior omni ;
537 dum te felicem, dum montes concipis auri,
538 dum dubias sectaris opes, dum perdis avitas,
539 dum nihili socios pendis dumque ultima rerum
540 secreta invenisse putas et tangere caelum,
541 et dum sulphur oles faciem fuligine tinctus
542 fornaces inter versans et fumida tecta,
543 dum paris et risum cunctis, ut fabula vulgi,
544 ampulla aut crepuit nimio liquefacta calore
545 aut male compositum corpus mala semina jacta
546 non bene concipiens miserandum fecit abortum.
547 Unde stupor totus, tristis, confusus, et exspes
548 nil reperis praeter carbones, sulphura, vitrum.
549 Sed te adeo lactat mellita et dulcis alit spes
550 ut neque te impensae pigeat coeptique laboris ;
551 immo novi quicquam tentat tua prona voluntas
552 quo se iterum ingenue fallat graviorque priore
553 impostura sibi geminata fraude novetur.
554 Hinc tu delirus sperans reperire negata,
555 et male ducta prius meliore claudere fine,
556 pertentas alios aditus, dum parva perit res,
557 omnibus absumptis, non est novus unde caminus,
558 materies, fornax, folles, et vasa parentur.
559 Sic, stulte, periit totum, quod pauper habebas.
560 Quod capere et falso jam te exegisse putasti,
561 in cineres versum est ; at, quem tu carcere clausum
562 credideras, abiit, sumptis Cyllenius alis.
563 Talia dum patiens peragis deliria nonne,
564 nonne tuus, quaeso, labor insanire vocatur ?
565 Daemonas horrebam nostros intrare libellos,
566 nominibus Stygiis dubitans temerare poesim,

567 ne mea, quae incautas hortatur ad aethera gentes,
568 musa procax nimium misceret sacra profanis.
569 Affuit hic magica princeps Zoroaster in arte
570 supplice voce petens primo, dehinc fronte supina
571 se mihi fracturum calamos et plectra minatus,
572 ac se tracturum Furias e faucibus Orci
573 quae mea dilacerent viroso carmina dente,
574 ni scribam in magico est insania quanta paratu.
575 Accipe, quando ita vis, prodi tua noxia vota ;
576 hoc erit indicium, stolidae haec praeludia mentis.
577 Consulis ipse prius Nursinae templa Sibyllae,
578 ipsa foret veluti stultorum numen et ara,
579 dux, comes, assistens, consultrix, sola magorum
580 conscia stultitiae, quos ridet mundus et aether
581 totaque furva phalanx, quam terrae viscera condunt.
582 Sed, postquam vates libros vestesque sacra vit,
583 infera dum properas ad te mala monstra vocare
584 seu tu sidereos, seu quos complectitur aer,
585 vel quos unda vehit, quos tellus sustinet in se
586 daemones ipse voces, seu quos inamoena tegit Styx,
587 praecipuum sidus servas et tempus et horam.
588 Cantati codices primo, exorcismus, et arae
589 victima, verbenae, lauri, sacra tura parantur
590 candela atque focus, gladii, simulacra, figurae,
591 ac vigilata diu pentacula, signa, character,
592 chandariae et vestes, fumigia, virga, sigilla ;
593 colligis et gramen lunae sub sidere certo,
594 quod Rhodos, Anthedon peperit, quod Thessala tellus,
595 quod tulit et Colchos, gelidi quod Phasidos arva,
596 quod novit Glaucus, quod Folia sagaque Circe,
597 quod Medea furens magico sub murmure carpsit.
598 Tunc mane ad solem versus cum veste recincta
599 vertice velato, terrae deflexus adoras
600 numina vana deum, coluit quos caeca vetustas ;
601 ore preces tremulo fundis, cantuque profano
602 mente sub attonita Phlegethontide valle revulsas
603 attrahis Eumenides, damnatumque elicis agmen.
604 Quod si non veniet primo quartoque vocatum,
605 ingeminas iterum cantus, cantata recantas,
606 hoc uno arguitur tua quam delira furit mens.
607 Tam fatuus cum sis, tam vecors, credulus et tam
608 ut fore confidas Acherontis numina regni
609 ad jussus ventura tuos. Quid desipis amens ?
610 Non homini obsequitur daemon, quia sola potestas
611 haec venit a Superis, sunt haec negotia divum.
612 Esto, age, det caelum super hos sua jura vicesque ;
613 flamma tibi et tonitrus fulmenque et ventus et imber,
614 pareat, atque Hecate, quae habent et numina Manes,
615 imperio stimulata tuo, sint prompta vocanti,
616 carminibusque tuis tumulo defleta resurgant
617 corpora, decurrant labentia sidera caelo,
618 ad fontes redeant proprios vaga flumina retro,
619 per juga transcendat pontus, super aequora montes ;
620 marmora rupe caves, vellas et robora silvis,
621 confundas hominum mentes, linguasque ligato ;
622 te fera, te piscis, volucres te sponte sequantur,

623 qualibet implumis volites super aethera tutus ;
624 denique sis quodvis et te tua vota secudent.
625 Quid tum ? Mors veniet, quae te, quas saepe vocasti,
626 transferat ad Furias, ubi sis subiturus amara
627 stultitiae tormenta tuae, poenasque daturus.
628 Haec non praecipua, haec non irridenda phrenesis ?
629 Nunc ad te propero, qui sancta arcana deorum
630 caelestesque aditus quaeris mentisque supernae
631 inter nos sensus, sophiae quos charta beatae
632 explicat et cui sunt divina volumina cordi,
633 ut populum doceas clarum discernere solem
634 rebus ab umbratis, distet quid devius error
635 a vero et vitiis virtus, a crimine merces ;
636 utile quod sit iter, quo limite tendat ad astra.
637 In templo quoties vis semina spargere sacra,
638 vel tuba, vel praeco, sive illa sonora metalli
639 concava materies, anima est cui ferrea pendens,
640 excelsa ab turri longo detracta capistro,
641 invitat gentes sonitu, dehinc pulpita scandis.
642 Sed cum sancta fides, doctrina et dogmata Christi,
643 et scripta in tabulis, quae continet enthea Mosis
644 pagina et hi monitus, quos claudit epistola Pauli,
645 et quae sancta cohors caelesti afflata calore
646 scripsit ad abstrusas penetrantia verba medullas,
647 debeat esse tuus sermo et tenearis obire
648 hoc solum munus penitusque huc tendere gressum,
649 stare et in hoc totus, possis quibus artibus et vi
650 inflammare hominum affectus humanaque vota
651 hoc unum ut studeant superas contendere ad arces
652 praemiaque aeternae patriae praeferre caducis,
653 virtutem amplecti egregiam vitiumque fugare,
654 perpetuamque horrere necem poenasque malorum,
655 gaudiaque et requiem Regni <- .> superni, (vers lacuneux)
656 talibus omissis, ut nil facientibus ad rem
657 niteris hoc uno totusque huc tendis et instas
658 texere materias grandes secretaque caeli
659 arte aperire nova populoque placere sedenti :
660 an sit aeternus mundus vel factus et a quo,
661 incipit an semper vel semper desinit esse,
662 an sint cuncta simul, certo vel tempore creta ;
663 materia an forma est, dederit quae exordia rebus.
664 Impius at si quis neget hoc, an forsitan oportet
665 esse Deum monstrare an haec notissima sit res ;
666 an possit non esse Deus vel desinere esse.
667 An sit et hic solus rerum dominus, pater et rex.
668 An Monas in Triade est, an sit substantia simplex ;
669 simplicitas qualis, quae forma et quae sit imago ;
670 nomina cur tria sint et sit tamen una potestas,
671 unus honos, unumque decus, par gloria, virtus.
672 Quid struat aut quid agat, spernatne an cuncta gubernet,
673 deserat an potius causis servata secundis.
674 Casibus ane novis subito, an providerit ante.
675 An mala permittat, Summum quando Ipse Bonum sit.
676 An caelum et tellus animataque sidera vivant.
677 Unane corporibus cunctis an plurima sit mens.
678 Quantaque forma animae, quaenam proportio, quae vis,

679 sphaerica an harmonica est, numerusve an sanguis et aer
680 qualis et existat mortales ante cavernas
681 quam subeat vel qua subeat, qua parte recedat.
682 Si sit caelestis, cur saepe angore prematur,
683 si melior post fata status, cur ipsa relinquat
684 invita hos artus, portum subitura beatum.
685 Aeterna an ne sit mundique ab origine creta.
686 Anne novas sator usque creat quas fundat ad ima
687 atque in membra pluat quas mox, hac faece relicta,
688 evocet ad Superos, an sub nova corpora condat.
689 Nunc de virgineo conceptu plurima fingis,
690 quae nec scire datur, nec sunt recitanda theatri.
691 Disseris aut quid sit numen, quod saepe per aras
692 obtulit admirans per mystica verba sacerdos.
693 Qua ratione luant et qua pia vota sequantur ;
694 quos deus a se abigit, vel quos praedestinat ad se.
695 Quod multo antevidet vel sit mutabile vel non.
696 Nos fore damnandos si praesciet unde trahamur
697 hoc perferre malum, si libera nostra voluntas.
698 Haec et plura simul dum tu tam grandia tractas,
699 confugis ad varios testes, quis credere quicquam
700 non licet, adducis sedas enormia monstra
701 in canones sacros divinaque jura serentes.
702 Dumque in Aristotelem, Averroim, Scoton, inque Platonem
703 fundamenta jadis, vel dum tua somnia narras,
704 incautas hominum mentes ignaraque corda
705 multiplici dubio variisque ambagibus imple.
706 Denique quo indocili turbae videare sapisse
707 rhetoras, historias et picta poemata, leges,
708 quidquid et astrologi fingant, recitabis ad unguem.
709 Et modo dulce canis, nunc fles, nunc ordine verso
710 fabellam texis, quae risus excitet, inde
711 invehis in vitium, sudas et voce sonora
712 acriter exclamas et verba minantia fundis.
713 Quod nisi sint monitus, paucorum vota precesque
714 et mundum et Superos, ruituraque sidera passim,
715 ceu super ipse humeros excelsa cacumina caeli
716 sustineas, ut Atlas, ne moles decidat ipsa.
717 Tam bene et Elysios pingis Stygiasque cavernas,
718 nigrantes Erebi tegetes poenasque nocentum
719 versatus tamquam fueris cum gente profana
720 Tartarea sub nocte diu vel forsitan illic
721 conductas teneas sedes, et manibus ipsis
722 est data certa fides illuc te velle reverti.
723 Haec tu dum rudibus tam mira stupendaque jactas,
724 te asserit esse deum vulgus, miratur, adorat.
725 Hinc tibi si artocreas poterit vel mittere turdos,
726 chortis aves, leporem, genialis munera caenae,
727 oscula vel pedibus manibusve infigere sanctis,
728 tangere vel saltem tunicam putat esse beatum.
729 Tunc tibi bellus homo es, nimium tunc credule gestis,
730 inde tibi surgunt obstipo in vertice cristae,
731 sedequae sublimi positus, fortasse videris
732 caelestes penetrasse globos, tumidumque supremo
733 insertare caput caelo, populumque jacentem
734 reptare ut pecudes per humum. Dehinc pectore ficto

735 deflere efflictim simulas graviterque dolere
736 illorum inscitiam grandem vesanaque corda.
737 Non tamen interea suasu tua lingua potenti
738 fructum aliquem pariet, tanto exagitata labore ;
739 sed tu, qui populo mera nugamenta dedisti,
740 colligis et mugas vanoque e semine jacto
741 in campos steriles nascetur fabula vana.
742 Pallida gens quaedam Stygiis elapsa catenis
743 unguibus ad praedam exsertis et dente rapaci
744 approperat chartas nostri foedare libelli,
745 inficit atque olido funestat omnia tactu.
746 Thesauros inhians grandes, semperque paradisi
747 divitiis vigilans, mentemque animumque profano
748 applicuit rerum studio, dum tota rapinae
749 intenta et prona est ; dum massam concipit auri,
750 omnia rimatur, divexat, miscet, adurit,
751 aggerat et cumulat semperque incude parata
752 excudit nummos grandi quos jungat acervo.
753 Nunc emit aut vendit, fraudat, permutat et infert ;
754 et modo quod debet, solvit ; modo decoquit et nunc
755 ingeminat lucrum, queritur nunc perdere sortem ;
756 nunc merces laudat, mentitur, pejerat et mox
757 quantum crediderit, quid dent armenta gregesque,
758 praedia quid reddant, quid fenus, quidve tabernae,
759 debeat et quantum signat, signata rescribit.
760 Nunc legit aut abacos, sua nunc monumenta tenentes
761 sumit ephemeridas et, singula quaeque revolvens,
762 multiplicat, numerat, summat, partitur et aufert.
763 Sic misera insanit, curis mordetur habendi.
764 Numquam pax animo est, nec mens, nec corda quiescunt.
765 O nimium declive genus caeloque rebelle,
766 gens mala, gens petulans, gens improba, gens fera, gens trux,
767 illusa ac demens et spe nutrita fugaci,
768 dum nimium properas votum complere nefandum,
769 nil penitus fatum reputas, nil sidera posse :
770 tu neque naufragium, fluctus, neque fulmina, ventos,
771 nec pluvias metuis, glaciem, mare, tela, procellas,
772 omnia scrutaris, nulla intentata relictata est
773 nulla ignota tibi regio, loca nulla, nec urbes.
774 Nunc petis aut Gangem, nunc nigri Memnonis oras,
775 rursus et occiduos Juvernae litora fines,
776 nec contenta satis nostro procul orbe remotos
777 curris ad Antipodas madidos pluvialibus austris,
778 unde pedem referas, oneratis navibus auro
779 plena sit ut census numquam saturanda vorago,
780 quod postquam grande es fortunae munus adepta,
781 dum nimium tibi stulta places, dum fronte serena
782 sors jucunda favet, tecum dum blanda jocatur,
783 zbria divitiis, fallaci capta nitore,
784 gens humana tumens, pleno ventosior utre,
785 nescia amicitiae vultuque elata supino
786 quot miseris delusa modis, cohibere volatus
787 tamquam effrena tuos nescis, moderamine nullo
788 praecipites currunt sensus ac prona voluntas.
789 Hinc tu nil pendens superi decreta senatus,
790 esse Deo similem vel si quid majus habetur

791 dum te, stulta, putas, caelumque Acherontaque rides.
 792 Inde inopum spoliis, mercede ac sanguine onusta
 793 auro scorta tegis vel te Ganymedis amores
 794 dilapidant miseram vel sors damnosa fritilli ;
 795 aut rapiunt pingues, quae sunt tibi parta, popinae
 796 seu tibi mente subit regnandi innata potestas.
 797 Si caput est igitur scelerumque pecunia radix,
 798 si parit omne nefas, si nil nisi triste propinat,
 799 quid cumulamus opes vitiis alimenta daturas ?
 800 O funesta fames auri, o male sana cupido,
 801 quo properas cursu infreno, meta relicta ?
 802 Invenies quo fessa cadas, saturata resurgas ?
 803 Spem vanam, vanum o studium, vanosque labores !
 804 Quidquid moliris studeas, mediteris, et optes,
 805 quid nisi stultitia est afflictio poena dolorque ?
 806 Est quoque quoddam hominum genus, insanissima plebes,
 807 semper inexhausta tumidaque cupidine flagrat
 808 aedificare aliquid : nunc calcem, gypson, arenam,
 809 nunc cementa parat, lapides conducit et infert ;
 810 nunc parium marmor, nunc saxa Laconica, ophitum
 811 nunc trahit Illyrica grandes de rupe columnas,
 812 construit, aedificat, rursus quoque diruit illud,
 813 nuncque rotunda quadris praestant, nunc quadra rotundis,
 814 ostia, propyleon mutat, tabulata, fenestras,
 815 atria, thyridion, pseudothyra, limen, et antas ;
 816 nunc renovat xyston ; podium, atque triclinia, scalas,
 817 nunc distincta micant variis asarota figuris.
 818 Nec modus et finis, donec male sanus et exspes
 819 non habet unde famem pascat, nec tecta, nec aedes,
 820 nec tegetem, in qua habitet ; postremo hunc frustra rogantem
 821 quilibet oppedent, sic cunctis fabula fiet.
 822 Consulto intactos quosdam mea plectra relinquunt,
 823 horum ego cum pars sim numeroque ascriptus eodem,
 824 ulcera ne tangam posthac dolitura quibusque.
 825 Me tamen invitum stimulat, licet ipse negarim,
 826 sancta sacerdotum synodus, reverenda, pudica,
 827 ut referam de se jactent quid murmura vulgi,
 828 parcere promittens, culpamque remittere scriptis.
 829 Pace tua sacrata cohors haec paucula (postquam
 830 sic vis et mandas) quamquam sint dissona sacris
 831 ordinibus calamo flebit mea lingua gementi.
 832 Vos quia sal terrae ac aliis exempla daturi,
 833 hoc queror, hoc doleo quod pars bona nulla penes vos
 834 nullae virtutis facies, vestigia nulla
 835 moribus apparent vestris probitatis honestae.
 836 Ni sanctum officium, si quis tamen illud ad unguem
 837 saltem aut perplexe, aut mutilo sub murmure dicat.
 838 (Hos tamen excipio, Veneris quos improba flamma
 839 non coquit illicitae, sed casta ac integra vita,
 840 sanctaque religio vere facit esse beatos).
 841 Quale ego vidi odium inter vos, qualesve sagittas,
 842 invidiae stimulos et tela latentia condi !
 843 Non ferro rem agitis, sed subdola machina linguae
 844 tamquam aries famam ficti subvertit amici.
 845 Finguntur vultus hilares, mellitaque verba,
 846 abtrusa at latitant caecis mera toxica fibris.

847 Nunc grandem incusat minimus, minimum modo grandis :
848 ille dolet decimas, quod partius exigat et quod
849 tam male respondent positi sub fenore nummi
850 quodque parum reddant segetes et semina jacta ;
851 hunc premit ambitio ductum popularibus auris,
852 hunc amor infrenus, rerum hunc lymphata cupido.
853 Hunc damnosa gulae numquam satiata vorago.
854 Pusio vel scorta hunc, hunc tessera destruit anceps.
855 Hic decus et famam, viridem cupit ille galerum.
856 Cardineo hic ambit numerari ex ordine primus,
857 hic diadema triplex votis intentus anhelat.
858 Non animas populi curant nec templa deorum,
859 sed quid reddat ager, sola haec atque unica cura est.
860 Sic, miseri, assiduis mentem cruciatibus aegram
861 obrutaque innumeris semperque agitata procellis
862 corda vehunt, fluctu vario impellente quietem.
863 Atque ita quanto animo cupidi majora volutant
864 tanto majores stulti sunt, fabula major.
865 Inde cucullati fratres, devota deis gens,
866 egressi claustris facie vultuque verendo,
867 confessis manibus poscunt ac voce remissa
868 illos ne sileam penitus tacitosque relinquam.
869 Annuere his volui, sic me cogentibus ipsis.
870 His tantum exceptis alti queis numina caeli
871 divinum inspirant ignem et qui ducere vitam
872 caelestem in terris, mortalia dona perosi
873 nituntur, prorsus vitiorum nube remota,
874 charta loquax igitur diversos nacta colores
875 quos penes esse nihil nisi foedum et turpe videtur,
876 hos pinget quanto poterit moderatius, esse
877 nil mage dissimile affirmans incertius et nil
878 nilque magis varium nihil et difformius illis.
879 Utitur ille nigris, ast albis vestibus alter,
880 hi pedibus nudi incedunt, gerit ille cothurnos,
881 fert crepidas alius, soleas vehit ille salignas.
882 Carnibus hic parcit, saliares devorat alter
883 regalesque dapes, liquidas hic ebibit undas,
884 Cnosiacis alter vinum de vitibus haurit.
885 Hi tenui victu cruciant, aliique saginant
886 corpus et omnigenis constipant piscibus alvum.
887 Socratis hic sequitur mores, agit hic Epicurum.
888 Mordentem hic Cynicum, mutos hic Pythagoreos.
889 Haeresis hunc dubium damnat, sapit iste Maranos.
890 Hic Maumethistas, recutita hic sabbata servat.
891 Hic negat esse deos, numen negat ille triforme.
892 Verum, o proh Superi, siquis sua claustra subiret,
893 quas ibi non cernat curas, portenta dolosque,
894 quae mala, quos morbos animi, quae crimina saeva !
895 Sic male distorquent miseros ut mente soluta
896 in scelus omne putes jurasse et, foedere rupto,
897 conspirasse simul leges temerare deorum.
898 Livor at impense hanc mordet quod doctior alter,
899 quod Prior aut Abbas, quod Custos, quodve Minister,
900 in genere et specie quod praesidet omnibus unus.
901 Rumpitur hic rursus quod plura absorbeat alter
902 fercula, quod cenet large et majore catino,

903 quod ganeata voret, tunica meliore fruatur,
 904 plus habeat fidei vel lingua potentior adsit.
 905 Subdola, ficta, latens, gens haec capipendula, casu
 906 si vultu obstippo caperata aut fronte per urbem
 907 incedat, vulpes agni sub pelle recondi
 908 objicient, at si rasa cute sive supina
 909 prodierit facie lascivos atque petulcos.
 910 Unum illud gravius sileo quod religionem
 911 religio insequitur, sectam quoque secta perodit.
 912 Sed sua cuique placet, aliena ut ludrica damnat.
 913 Tot sunt sacrorum ritus, quot claustra reguntur
 914 ordine sub vario, cui tam variata voluntas,
 915 factio tam varia est varia quam veste teguntur,
 916 namque sacerdotum coetus et carpit et odit
 917 tot quot sunt fratres, quocumque sub ordine degant.
 918 Augustina phalanx acuit mala spicula contra
 919 servorum nigras acies, rursus niger hic grex
 920 subsannat quoscumque videt sub vestibus albis.
 921 Hinc benedicta cohors illos, queis regula nomen
 922 indidit, allatrat et morsu et dente canino,
 923 hi laniant monachos monachique odere coletas.
 924 Dictus et Observans odio insectatur utrosque.
 925 Inque Minoritas jactant fera tela Thomistae,
 926 qui sibi tam docti tam sancti tamque beati
 927 apparent, itidem ut jubeant nos credere quod sint
 928 et docti et sancti, quum nil simulatius ipsis.
 929 Tertia progenies spuma conflatur ab omni
 930 gens inimica deis, Stygioque invisae profundo.
 931 Denique post varios casus, tormenta, labores,
 932 mille odia et curas, vivens an funera passus,
 933 an bonus anne malus, vestis sit nigra vel alba,
 934 tot quot sunt fratres, ipsi quoque fabula fient.
 935 Nunc majora canam plausu comitanda sonoro.
 936 Sunt homines adeo fatui, titulisque tumentes,
 937 ut dum corpus adhuc mortali in cortice vivit
 938 affectent (quamquam sit nulla insania major)
 939 caelicolas fieri et superos numerarier inter.
 940 Haec dea stultorum stulte cupientibus affert
 941 praenomen clarum, cognomina, nomen, honores,
 942 divinos cultus, statuas, aramque focosque.
 943 Haec homulum nauci, et sceleratos saepe tyrannos,
 944 haec tot semideos finxit quos Graecia mendax
 945 inter caelestes sublimi in sede locavit.
 946 Ni foret haec eadem Cretaeis Jupiter antris
 947 staret adhuc, nivei gereret vel cornua tauri,
 948 vel nunc esset olor, nec caeli sceptrum teneret.
 949 Profuga Saturni dura et miseranda senectus
 950 vitam ageret tenuem latius inclusa cavernis.
 951 Mars simul atque Venus factis ex aere catenis
 952 hactenus haerent capti complexibus ipsis
 953 turpiter et fierent ambo nova fabula caelo,
 954 pasceret et Phoebus vaccas sub rupe Pheraea
 955 et latitaret adhuc genitoris in inguine Bacchus ;
 956 Isis et in nivea Juno mutata juvenca
 957 pasceret in Phariis nunc utraque saltibus herbas ;
 958 Vulcanus coqueret ferrum Liparaea per antra,

959 Alcides hydram vel grandia monstra domaret
 960 atque intra tegetes coleret sua Roma Quirinum.
 961 Vile fuit quondam genus hoc nec pascere dignum
 962 armenta aut capras divum, sed credula turba
 963 omnia mirantis vulgi ac insania praeceps
 964 hos dedit esse deos caeloque intrusit et astris.
 965 Quid tandem, o miseri, querimur graviterque dolemus,
 966 si mortale genus sit fabula ? Fabula quidquid
 967 cernimus inclusum spatiosa indagine mundi.
 968 Fabula terra, nemus, silvae, mons, flumina, fontes,
 969 fabula Neptunus, Doris, Melicerta, Palemon,
 970 Aeolus et venti sunt fabula totus et aer ;
 971 stamina Parcarum, sortes, oracula, fatum,
 972 fabula Tisiphone, Titius, Rota, fabula Pluto.
 973 Quid plura exspectas ? Est denique fabula caelum,
 974 ut veri sterilis cantavit Graeca vetustas,
 975 (excipio tamen, et veneror tria numina in uno),
 976 fabula Mercurius, Mavors, Saturnus, Apollo,
 977 Phrixeusque Aries, Gemini, Virgo, Ursa, Bootes,
 978 Luna, Minerva, Venus sunt fabula, fabula Juno.
 979 Jupiter ipse quid est, cunctis nisi fabula major ?
 980 Talia quid rogo sunt ? Non sunt stultissima ? Nonne
 981 cuilibet insulso risu explodenda videntur ?
 982 Quae si forte volet digno ridere cachinno,
 983 Democritus rumpet pulmonem, viscera, buccas ;
 984 nec satis unus erit, nec si ter mille fuissent
 985 Democriti, nec si gens tota, armenta gregesque
 986 saxa, ferae et volucres totus rideret et orbis,
 987 tot merito celebrare queat deliria risu.

LIBER TERTIUS

T_3 v.1 Dum sumus interea mundana per aequora vecti,
 2 fluctibus assiduis nunc huc, nunc trudimur illuc ;
 3 et modo nos Boreas, modo nos diverberat Auster ;
 4 nunc simul insultant rapidi facto agmine venti,
 5 nunc tumidae insurgunt diversa a parte procellae,
 6 impetit hinc costas turbo, nunc undique mugit.
 7 Sic nos assidue ventis jactamur et unda.
 8 Sic premimur semper curarum vortice et aestu,
 9 nunc vani affectus, nunc nos et inania vota
 10 excruciant miseros ; semper torquemur anhelii.
 11 Dum sic attoniti, dum vana vivimus in spe
 12 aut lucri aut summa rerum dicione potiri,
 13 dum decus et nomen dumque expiscamur honores,
 14 dum sceptrum et regnum cupimus, dum scandere ad alta
 15 nitimur et celsa contendimus arce locari,
 16 dum falso et frustra nobis blandimur inepti,

17 dum nos felices penitus, dumque esse beatos
18 credimus, en pedibus, vita fugiente, citatis
19 vergimus in senium. Quantis venit obvia curis,
20 quantis plena malis, quantoque est pressa labore,
21 quam cupida atque avida est, semper jejuna senectus !
22 Arida, parca, tenax, semperque cupidine flagrat,
23 semper sollicita est ne desit, semper avara
24 semper plura cupit semperque famelica parcens
25 ringitur et querula est semperque afflicta dolensque.
26 Viribus amissis, semper sitis aret habendi.
27 Cum vitia erroresque hominum quandoque senescant,
28 majoris census juvenescit sola Cupido.
29 Quid plura ? Est morbus per se cariosa senecta.
30 Nam cutis epotat succos, minuitque cruorem ;
31 corporis haec adimit vires animique vigorem
32 paulatim extenuat sensusque et robora mentis
33 enervat, fugiunt risus ac forma colorque.
34 Quodque magis doleas, petulans praecepsque juvenus
35 nos vetulos spernit, deridet, conspuit, odit,
36 impellit, vel calce petit, digitove lacessit.
37 Denique quod pejus, paucis licet ire per omnes
38 mortalis vitae partes, quia manca cadensque
39 et fragilis natura hominum est, haec insuper addas :
40 bella, fames, morbi, naufragia, fulmina, pestis,
41 mors subita, et varians fortuna, pericula, casus
42 humanae insidias tendunt ac retia vitae.
43 Nunc infans moritur, nunc qui sub flore juventae est.
44 Nunc vir, nunc senior necis est laqueatus ab hamo.
45 Si pede vel claudio tandem vel saepe fugaci
46 trudemur in fatum, nullo medicabile succo.
47 Semper enim fugimus materno e carcere lapsi.
48 Undique et, o miseri, cadimus, passuque latenti
49 currimus in mortem, quoniam properantibus alis
50 labile tempus abit, punctum, gradus, hora, minutum,
51 saecula, lustra, dies, mensis, trieteris et annus.
52 Nunc spargit radios tenebris aurora repulsis,
53 nox fugat ecce diem, sed rursus, nocte fugata,
54 altera lux sequitur post se latura sequentem.
55 Sic nostra assiduo variantur tempora motu
56 quodque hodie fuimus, cras desinet esse futurum ;
57 nec quod post fuerit formam servabit eandem.
58 Arboris ut species pingui tellure creata
59 sole calet primo, tepido hinc nutrita calore
60 intumet, atque oritur tenerum de semine germen,
61 quod cum duruerit, sensim radicibus altis,
62 offirmat sese et surgit de stipite truncus,
63 procreat hic de se ramos, hii denique frondes,
64 inde fluunt tumidae sub veris tempore gemmae,
65 folliculi in faciem, tunicae qui carcere rupto
66 purpureas ostentat opes et, flore soluto,
67 concretos mittit praegnanti e cortice fructus ;
68 postremo aut Phoebi radiis aut frigore et annis
69 aret et in cineres ignis consumpta vapore est.
70 Sic homo, sic primum genitali e fomite semen,
71 embrio dehinc factus materna excrescit in alvo,
72 paulatimque suas vires natura ministrans,

73 incipit exiles hominis signare figuras,
74 deinde animi sumpto caluerunt membra vigore,
75 post venit in lucem lactens sine robore fetus,
76 mox puer, et juvenis, positoque ardore iuventae,
77 indicat esse virum natura et mitior aetas.
78 Inde gradu tremulo properat delira senectus,
79 fatalem demum resecat Proserpina crinem,
80 sorte citans cunctos ad conjugis ire tribunal :
81 doctus et insipiens simul et cum divite pauper
82 illuc, heu, trahitur varia regione viarum.
83 Quicquid ubique vides hoc grandi in fornice cretum,
84 sive homo, sive pecus, seu sit vegetabile lignum,
85 sive volans animal, seu mutum, sive pyrausta
86 desinit esse quod est, fit fabula, fit cinis et mox
87 fit nihil, in nihilum quoniam cuncta orta recidunt.
88 O fragilis, semperque cadens, similisque ruenti
89 vita hominum mendax, punctum victura sub aevo,
90 spes o fallaces, o vita miserrima falsis
91 illita deliciis, aegra irrequieta, labori
92 obvia perpetuo, patiens, dura, aspera, praeceps,
93 indomita, effrenis, violens, elata, superba,
94 quid tantum studii aut operae, tantumque laboris
95 pro re tam fragili, tam nauici, tamque caduca,
96 conteris incassum, mendosis perdita nugis ?
97 Quid te sollicitas et inani pasceris aura ?
98 Illusa ac demens, fallaci capta nitore,
99 falleris et te ipsam nil profectura fatigas.
100 O labor, o vanum studium, tormentaue vana,
101 spem vanam, o vanas artes, vanosque timores !
102 Ulterius ferre, heu, nequeo quin voce sonanti
103 oreque quam latum est, imitatus Stentora clamen :
104 "I, nunc imperium quaeras, et regna, triumphos.
105 Effode, cultor agri, terram, terram effode rursus,
106 qua mox exanguis clauderis, terra futurus.
107 Tergora diripias dorso miserumque cruorem
108 exhauri atque inopum praecordia fenore rodas ;
109 quaere stipem, aerusca, cogas, tua cura sit aurum,
110 collige opes summas, amplectere, congere, suge,
111 exorbe et cumules, infarti, conde, repone,
112 vende, eme, permuta, spolies, rape, decipe, fraudas,
113 disce, lege et studeas, componas, scribe, saluta,
114 pelle, time, simula, comedas, bibe, consere, planta,
115 plange, fleas, lacrima, ride, cane, plaude, jocare,
116 vade, veni, fugias, deturba, siste, quiesce,
117 vive, vale, morere, invigiles, exsurgito, dormi,
118 destrue et aedifices ac caetera multa ; quid ultra ?
119 Quid tandem egisti ? Quid habes quod dicere possis
120 id certo esse tuum, dubiaque a sorte tueri ?
121 Pompa, decus, fasces, solium, diadema, coronae,
122 gloria, regna et honor, victoria, bella, rapinae,
123 ira, amor, aut odium, suspiria, funera, planctus,
124 poena, labor, votum, discrimina, gaudia, risus ;
125 omnia fabula sunt mentisque afflictio stultae.
126 Denique quicquid agas, seu sis pauperrimus aut rex,
127 incola dum terrae ac humana negotia tractas,
128 id, duce stultitia, fieri peragique necesse est.

129 Haec animi affectus nobis, haec laeta ministrat,
130 haec dedit et tristes curas iramque metumque ;
131 datque voluptates et quicquid pectore claudit
132 omnis homo immo hominem totum, quacumque volet, fert.
133 Haec dea tantum audax, tantum tumefacta, potensque
134 ut mundi domitrix omni de gente triumphos,
135 exuvias, titulos et signa reportet opima.
136 O fatum, o male sanum, ac immedicabile vulgus,
137 ausculta, obsequere et medico medicamen habenti
138 quod veteres animi morbos de mente revellat.
139 Tecum, quaeso, habita, quaeso, resipisce parumper.
140 Ad te, quaeso, redi, tenebras jam discute tandem.
141 Quin te delirum noscas, tua caeca recludas
142 lumina, te stultum tandem fatearis aperte.
143 Exue stultitiam, sapias quandoque, miselle.
144 Quin te captivam redimas, teque exime caecis
145 retibus implicitum, rectoque a calle vagantem.
146 O mortalis homo celeres abiturus in horas,
147 dic ubi cor, quaeso, mentemque animumque locasti ?
148 Credulus heu nimium es, nimium confidis avarae
149 Parcarum legi, credin succedere mundo
150 totius et scribi terrae dominator et haeres ?
151 Sed fortasse hodie vel cras morieris abactus
152 de grege viventum. Quid tunc tibi talia ? Quidnam
153 profuerint ? Trudere foras defletus et algens,
154 luminibus clausis, manibus pedibusque revinctis,
155 ad proprios quo tu nequeas remeare penates.
156 Nunc te non capiunt latissima tecta micanti
157 picta auro et gemmis, vel marmore structa superbo ;
158 dic ubi tunc somnos capies ? Ubi laeta parabis
159 prandia, vel cenas ? Quo tunc spatiabere gyro ?
160 Non pulvinari, soliove sedebis eburno,
161 non segmentatis plumis tua membra quiescent,
162 sed scrobe in angusta latitandum tempore longo,
163 dum tuba terribilis somno te suscitet alto.
164 Qui nunc non audes extra tua limina tutus
165 usquam efferre pedes, nisi te comitante caterva,
166 quis tibi tam fidus, qui te comitetur in urna ?
167 Servorum fuerit nullus qui vina propinet,
168 sternere qui lectos studeat dominoque relicto
169 obsequium praestare velit, sed corde rebelli
170 stat procul et tumulum numquam post funera cernit.
171 Non te armata manus nec turba togata sequetur
172 non ex te genitus, nec, quam tu diligis, uxor ;
173 nec soror aut frater, nec qui prius esse solebant
174 foedere amicitiae juncti ; verum, agmine facto,
175 praesto aderunt sotii vermes longaeque colubrae
176 quae laniare tuum certent exanguem cadaver.
177 Tunc ubi deliciae molles vultusque supini ?
178 Tunc ubi erunt cantus et carmina grata puellis
179 et chorus et citharae vel plectra moventia saxa ?
180 Tunc ubi nequitiae, lusus, impura voluptas ?
181 Lingua ubi prompta, sales, dicteria amara, jocique ?
182 Robur ubi pectusque audax ? Ubi membra torosa ?
183 Arma ubi, pompa, decus, successus, gloria, fama ?
184 Nudus ut ingressus mundum es, sic nudus abibis.

185 Purpureos non es tecum laturus amictus,
186 sed veste, heu, lacera forsanique <tegeste> papyro.
187 Et nihil ex opibus tantis, quas terra vel aequor
188 possidet, ipse feres, nactus sine corpore corpus,
189 aethera sive petas vacui seu regna profundi.
190 Nam pia gens Superum, squamosaque numina ponti,
191 si quis et est solis, si quis vagus incola lunae
192 et Phlegethontaeae sulcantes litora ripae,
193 thesauros horrent aurumque et signa monetae.
194 Nec vehit ipse Charon Stygias nisi nuda per undas
195 corpora, nec meriti repetuntur praemia nauli.
196 Et quicumque habitant nigrantia tecta silentum,
197 communes retinent sedes, communia cuncta.
198 Inferior nec inops, nec paupere celsior est rex.
199 Cum duce purpureo versatur saltibus iisdem
200 faex hominum, nec stemma juvat, generosaque proles ;
201 turmatim at potius volitant discrimine nullo.
202 Vos igitur precor et moneo quicumque natando
203 fessa sub hac taetra jactatis membra palude
204 mundanoque ratem, remos et vela tenetis
205 obruta naufragio, rabidas si temnere Syrtes,
206 si fluctus cupitis vastos, si Doridos aestus,
207 si rabiem Syllae, si immitia saxa Capharei
208 effugere et rapido bacchantes turbine ventos,
209 et nudi a scopulis ad litora tuta natare,
210 per tumidum hoc pelagus piceatis auribus ite,
211 ne liget incautos fallax et blandula Siren,
212 quae illecebris operata suis et fraudibus usa
213 vos trahit ad dulces cantus, submergat ut inde.
214 Neu maga carminibus Circe potuque potenti
215 extra hominem faciat bruti nos degere more.
216 Ergo quid optandum suades, animoque sequendum ?
217 Quae bona sunt et quae nostris accommoda rebus,
218 haec tantum Superos petito, dehinc cetera mandes
219 caelesti arbitrio, nec te lymphata cupido
220 deviet ulterius, quam quod sperare sinit fas.
221 Fallimus at nosmet docta haec insania quo vult
222 attrahit attonitos. Quid gens sopita jacemus ?
223 Quid tam dormimus ? Cur malis undique apertis
224 stertimus ut segnes ? Heu, caeci ! Nonne videmus
225 ut terrena diu quaesita cupidine tanta
226 inflammare queant, nequeant saturare sequentem ?
227 Ponite degeneres animos pecuinaque membra
228 exuite et mores tandem removete ferinos
229 atque hominis servate gradum, servate decusque
230 discite et hunc hominem deceat quo vivere pacto,
231 audite et quanam possit ratione beari.
232 Figenda est alibi ancora fundamentaque firma
233 sunt alio jacienda loco, quo nulla cadat sors,
234 quae nec tempus edax turbare, nec ulla queat vis.
235 Erigenda alio mens est tollendaque sursum
236 lumina, si vitam, quae sit victura per aevum,
237 si rore aeterno grandique ex ubere caeli
238 nos saturos fieri sedesque optamus avitas,
239 nulla ubi paupertas, nullum cruciabile votum
240 verae ubi divitiae, regnum et locupletius omni.

241 Surge, homo, surge ab humo, frons si tua recta superne est
242 osque datum sublime tibi, quo spectet in altum,
243 quis furor aut ratio tam te insanire coegit
244 totus ut in terram curveris pectore prono ?
245 Dirum et grande nefas quis non intelligat esse
246 erectum et divinum animal, gravitate relicta,
247 deflecti in terrae illecebras, inhonestaque vota ?
248 Idcirco nostris, ut res abjecta jacensque,
249 terra subest pedibus, quo sit calcanda premendo,
250 non optanda homini nec tamquam numen amanda.
251 Objectaeque oculis stellae formaeque nitentes
252 et rerum simulacra polo caelata superno,
253 fulgida nocturnis flammis, radiata diurnis,
254 ut tu homo tanto operi praefixus testis adesses,
255 et tam pulchra tua celebres spectacula lingua,
256 et mira et stupida hac tu pulchritudine captus
257 saepius in Superos mentem cum corde levares ;
258 at tu - proh, facinus ! - telluri infixus et haerens
259 florentes hortos, vineta, atque arva tueris.
260 Quid te flectis humi ? Quidnam revoluta deorsum
261 polluis ora sacra haec, quae nata aspicere caelum ?
262 Quid pronas imitaris oves, prolapsus ad ima ?
263 Huc aciem, huc tendas quo sors naturaue nostrae
264 condicionis agit, quo nos vocat illa Deorum
265 caelestis pietas, vere quae in pignus amoris
266 acclivem erexit faciem ut sciremus ad alta
267 concilia atque choros Superum sedesque vocari.
268 Audi, ingrante homo, largitori injuria fiet
269 magna Deo, si aliam in partem sua munera sumas
270 ac dedit. En tribuit rectas rationis habenas,
271 qua certa incertis, pariterque aeterna caducis,
272 praeferres pulchra et foedis, ac sacra profanis.
273 Cur male, quaeso, tua auriga ratione miselle
274 uteris, et freno per humum raptare relicto ?
275 Quod tibi terra dedit corpus bene pascis et ornas,
276 ast animum, qui sit supera regione profectus
277 contemnis, fraudas, irrides, negligis, immo
278 hunc nihil omnino, dissuto corpore, credis.
279 Nosce, homo, nosce, precor, quo sis de semine natus !
280 Subtrahe te a terris oculosque ad sidera tollas !
281 Sub pedibus ne quaere Deum, super aethera felix
282 et firmus status est. Si te fortasse jacentes
283 straveris in terras, illuc scito esse cadendum
284 quo te dejicies et quo tua prona voluntas
285 labitur, ingrediens exempta et libera quo vult.
286 Cumque vagans hospes curras peregrinus et exul
287 sub brevis hoc stadio vitae, nec detur in ipso
288 aut certi aut stabilis quicquam firmique videre,
289 cerne, precor, vigila, quo pacto, hoc carcere lapsus,
290 in patriam remeare queas, qua traxeris ortum,
291 stultus in hoc fragili labor aedificare theatro,
292 unde sies paulo post extrudendus et illa
293 quaerere, quae heredi mox sint linquenda petulco.
294 Stultius at multo superis non condere tectis
295 tam solidas sedes ut posthac robore, nec vi
296 illinc extrudi nequeas, quoquamve repelli.

297 Quisnam adeo imprudens, qui tuta viatica linquat
298 in longum succinctus iter, nec praeparet escam
299 auxiliumque viae, veluti tu, devia turba,
300 quae cursu assiduo mundi deserta peragrans,
301 non cumulas tecum quod sis latura per auras ?
302 Audire ergo meos monitus : si consilium vis,
303 aeternas meditare domos et deinde paretur
304 regia quae sit ad has tecum portanda supellex.
305 Hyblaeas imiteris apes, quae dulcis Hymeti
306 nectareo dotata thymo, dum rura pererrant,
307 floribus ex variis liquentia mella ferentes,
308 mussanti soboli quam grata alimenta propinant,
309 haud secus ipse celer, promptus, stimulatus, et instans
310 per sanctos operum saltus, per amoena vireta
311 collige opes solidas nil saevae tela timentes
312 fortunae aut casus, nil aequora mota nec ignes,
313 quas, veluti testes, caeli sub scrinia condas
314 ut tu digrediens, mortali compede fracto,
315 hospitium invenias supera regione paratum.
316 Heus, hominum lymphata cohors, surge, effer in altum
317 depressum in terris animum sopitaque corda
318 evigilent tandem ! Jam caligantia solvas
319 lumina, dehinc prona condas mea dicta sub aure :
320 est homo natus ad hoc caelestis villicus horti
321 ut foret et Domini coleret studiosius agros,
322 quo ferat auriferos fructus cum fenere grandi,
323 cultura assiduo semper renovata labore,
324 quam, si desidia tu segnis ductus inertis,
325 otia pigra trahens, cessabis vertere aratro,
326 haec tua non pariet flores, nec germina tellus ;
327 obruta sed tribulis felice et depressa nocenti
328 lappas et lolium et steriles producet avenas,
329 aut urenda feret scelerum mala gramina flamma.
330 Hunc hortum fidei saepes et munit et ambit,
331 spes alit et vegetat, seritur pietate, rigatur
332 imbri superfuso scatebris manante supernis,
333 fecundant lacrymae trito de corde cadentes,
334 ne qua se intrudent fures prudentia cernit.
335 Agricola assiduas divellit, runcat et occat
336 ne erumpat stirps ulla nocens, aut noxia radix,
337 ast, omni penitus vitiorum semine necto,
338 pullulet alma seges virtutum et, numine dextro,
339 felices pariat fruges, felicia farra,
340 quae caeli condenda penu, factura beatum
341 mox sint cultorem jam jam positura quietum
342 sedibus aethereis summi Jovis ante tribunal.
343 Quo si forte voles eniti robore toto,
344 accipito paucis in caeli regna quibus sit
345 viribus intrandum, qualisve exercitus et quae
346 arma Deos superent, qualis quoque machina turres
347 evertat superas et ubi penetrabile caelum.
348 Si tibi mens fuerit jucunda et libera et omni
349 anxietate carens, Superis si inimica repellas
350 saeva odia et si nil duri, nil ipse molesti
351 nil grave, nil metuas miserabile (namque remota
352 causarum causa, effectus removetur et ipse,

353 cernis ut oppositis obstantia saepe mederi,
354 antidoto antidotum, pariterque venena venenis) ;
355 si rebus modicis, si angusto, si lare presso
356 si contentus eo, quod sors et fata dedere,
357 si pauperrimis dapibus vilique paratu,
358 degis ad imperium naturae cuncta regendis,
359 turgida si ira cadat, ponet si fervida bilis,
360 si cura ardenti, rabie si cordis anhela,
361 si pulsa ingluvie, Veneris si ardore subacto
362 mentis et obsessae si longius hoste fugato,
363 si quod praecipuum est, si quod super omnia grande,
364 sensibus edomitis invictus, fortis et asper
365 esse tui possis dominus, si denique, pulsus
366 mille cupidinibus, quae tamquam saeva tyrannis
367 te tibi surripiunt ac surdo verbere pulsant,
368 undique securus vivas, ita liber ab omni
369 turbine quod nequeas casu vel sorte moveri ;
370 tunc quasi jam factus felix comparque Deorum,
371 linquere et ex vere incipies ac ponere totum
372 quod mortale fuit, quod labile quodve caducum,
373 longe et ab humana discretam ducere sortem
374 et caeli accessus poteris penetrare latentes.
375 At nisi per duros aliquem Deus ipse labores
376 in sua regna trahit, nec sidera inertibus offert.
377 Nam via difficilis, clivosa atque ardua quemquam
378 non prius admittit quam cum se pectore toto
379 abneget et si quid placitum est aut dulce relinquat,
380 vinclaque, claustra, focum, lapides, tormenta, catenas,
381 esuriem, atque sitim, cruciatus, verbera, mortem,
382 sponte sua tulerit, mercatus sanguine caelum,
383 et nisi quis fuerit caelesti lumine ductus,
384 nemo potest proprio nisu penetrare nec arte
385 aetherios aditus, veluti sub nube latentem
386 nullis ante datur clarum prospicere solem
387 quam fuerint sparsi radiis et lumine solis.
388 Nec Superi cuiquam mortali infundere lumen
389 consuevere suum ; penitus nisi mente animoque
390 illius in Superos sit fixa et prona voluntas.
391 Jam tu igitur caelo addictus, numeratus et inter
392 semideos proceres, sacroque jubente senatu,
393 scribere aeterni jam tum novus incola regno.
394 Si prius hostis eras Superis caeloque rebellis
395 tunc te convertes, tunc conciliabere amicus ;
396 Hoc, quod terra fuit, caeleste evadet et illud,
397 quod mortale prius factum immortale, fluensque
398 jam solidum fieri videas et labile fixum,
399 jam lucem tenebras, jam libertate potiri
400 qui captivus erat, profugus, vagus, exul et errans
401 in patriam remeat, pauper ditabitur et qui
402 intrarat nudus solemni veste tegetur.
403 Quisquis et esuriens sibi vera parabitur esca
404 panis et huic vitae divinaque pocula, nectar.
405 Infimus excellet, servus dominator erit rex.
406 Mox et virtutes Superum quo possis ad astra
407 scandere praestabunt plumam insolitosque volatus.
408 Tunc nisi quod sanctum est, meditans, quod grande, quod altum

409 paulatim tolleris humo vectusque per auras
410 calcare audaci tentabis sidera saltu.
411 Huc ubi perventum fuerit, reboabit ad aures
412 concentus volucrum laeto modulamine captans ;
413 Cecropis hic veteres plorat Philomela dolores,
414 Daulias Ismarii patriam fugitura mariti
415 assiduo applaudit cantu venientibus ales :
416 conjugis extinctae viduatus funera turtur
417 hic gemit et queruli recitant sua dicta palumbes.
418 Psittacus, humanas conatus reddere voces,
419 mille canit modulis et garrula pica vicissim.
420 Mirandaeque aliae volucres, sua pectora et alas
421 puniceis pictae pennis varioque colore,
422 quas numquam vivens sub nostro videris orbe,
423 dulce sonant passim vernanti gutture carmen.
424 Innumerasque illic citharas sua plectra fatigant :
425 est ea, qua Musaeus solitus mulcere silentes,
426 et qua fama canit struxisse Amphiona Thebas,
427 seu qua Thrax vates auritas reddere quercus
428 ac lapides potuit fluviosque avertere retro,
429 vel qua permulsus portavit Ariona delphin,
430 est illic et adhuc cithara, qui cantat Iopas.
431 Est Linus, Ismenias, Terpander, Xanthus et audax
432 Marsia, Chrysothemis, Thamyras, Lydiusque Coroebus.
433 Hic Mida, Nicomachus, Chironis musa, Timotheus,
434 Hyppasus Eubulides, Archytas, atque Philammon.
435 Est qui syringos dulci modulamine cannae
436 clausit Arestoridae certantia lumina somno.
437 Sunt ibi Sirenum cantus, sunt sinistra, lyraeque
438 organaque et litui, Berecyntia tibia, naula,
439 cymbala cum crotalis, sambuca et barbita, cornu.
440 Nec Fauni cessant junctis dare sibila cannis.
441 Naiades atque Dryas mille associata Napaeis,
442 Orchomeno Charites, Musaeque, Helicone relicto,
443 assidue hic saliant, cantant, gyroque recurrunt.
444 Mulcet et auditum sphaerarum percitus axis
445 concentu vario, qui, dum se cardine volvit,
446 excitat ad cantus quocumque sub ordine currant
447 agmina Caelitum. Tractus dulcedine tali
448 totus amor fies, flamma, ardor, gratia totus.
449 Jam factus caeleste animal, terraque relicta
450 parte sub hac humili, subito tibi sponte patebunt
451 limina fulgentis radiantiaque ostia caeli.
452 Temperies huic tanta loco est sidusque benignum
453 afflatu ut nequeat gelido Cynosura nocere,
454 nec rabidus calido perturbet Sirius astro
455 sed ferat aeternos flores et gramen odorem.
456 Hic oritur quicquid Cilices legere vel Indi,
457 quod nemus Alcinoi genuit, quod dives Hymettus,
458 grata Cnidos quicquid, Cyprus, Paphos, alta Cythera,
459 sive in Acidalio quicquid Venus aurea saltu,
460 aut Amor Idaliis quicquid collegit in hortis.
461 Qualia in Elysio rutilant violaria campo,
462 hic ubi picta pii saliant per gramina Manes,
463 talia perpetui fecunda potentia veris
464 hic passim emittit, nullo, cogente labore.

465 His demum Pomona locis Orientis et Austri
466 fundit opes quascumque suis natura recondit
467 seminibus, seu quas tenero sub cortice nutrit.
468 Innumerique hominum coetus hic florida sarta
469 sive coronatam portant diademate frontem,
470 mollia cum dulci miscentes gaudia cantu.
471 Hic salit omne latus, Superique et sidera rident,
472 omnia colludunt et flores depluit aer.
473 Laudibus atque hymnis hinc tu vallatus ubique
474 purpureum per iter perque arva rubentia cocco,
475 per nardi spicas, per olentia prata sonanti
476 duceris plausu, donec penetrabis ad altos
477 augustosque lares Divum, sedesque beatas.
478 Celsior inde loco incipies miranda tueri
479 ac immensa nimis magnique capacia mundi
480 non oculis lustranda tuis, nec quassa tumultu
481 fulminis aut tonitrus, sublimia tecta Tonantis.
482 Hic aeterna dies, lux hic aeterna refulget,
483 sole dies nostro, lux luce micantior omni.
484 Quo simul admissus fueris venerabile numen
485 et jubare et radiis et majestate verendum
486 prospicies, tua quod splendore et lumine grandi
487 lumina praepediat, veluti sis fulgure flatus
488 usque adeo ut nequeas clare distinguere quid sit.
489 Hic Deus altitonans, incircumscriptus et ingens,
490 causarum causa hic, hominum Dux, hic Pater, hic Rex,
491 motor et hic primus, Lux, Verum, prima Potestas,
492 vis ignota, vicens, claris abstrusa tenebris,
493 nec detenta loco, nec quam mortalibus ullis
494 cernere luminibus, nec quam comprehendere sit fas,
495 unus et invariis, numquam sejunctus ab ipso,
496 una tamen virtus pariter tria numina claudit,
497 unus amor tribus est, mens una, essentia simplex,
498 tanquam sphaera capax, quicquid sibi supra vel infra
499 omnia complectens, immensos aetheris orbes
500 incolit et summa latitans dominatur in arce.
501 Astra, globos, ignem, nubes, mare, flumina, terras
502 intrat et inferni per caeca latibula Ditis.
503 Circuit omne quod est, nec gyro clauditur ullo.
504 Cuncta Deo plena et nihil est angustius ipso.
505 Denique tale aliquid, quod vulgus nomine Sortem,
506 summum alii dixere Bonum, cui forma nec aetas
507 nec datur effigies, si qua est tamen hujus imago,
508 sola sibi similis, nulli collata figurae,
509 quam pictor nullus, nulli pinxere poetae,
510 quam nulli videre oculi, nec lingua locuta est,
511 aure nec insonuit, sola sed mente videnda,
512 aut colenda pii per muta silentia cordis,
513 et cui tanta subest virtus, cui gratia tanta
514 ut si mortali cuiquam, semel esse videndam
515 et vera facie vultuque verenda decoro
516 praebuerit sese, vitae mortalis amorem
517 extinguet penitus, stupeat posuisse repente
518 noxia vota, novo vitae accedente tenore,
519 seque alium esse hominem, distantem prorsus ab illo
520 qui fuerat, mentemque aliam studioque priori

521 dissimilem, moresque alios et cuncta novasse.
522 Nil ultra quaerat, cupiet, metuetve, cadetve
523 in gemitum, aut lacrimas, discrimina, damna, dolores,
524 nec fortuna sibi, nec mors, nec fata nocebunt,
525 nullaque vis posthac cura subducere inani,
526 afflatam poterit caelesti lumine mentem.
527 Ergo superna animo semper volvamus et ore,
528 pectore in assiduo semper versanda superna ;
529 huc se deflectat studium, mens, cura, voluntas ;
530 haec tantum aspicere, haec cupere, haec sapere, haec reminisci,
531 haec bona prae cunctis meditari, haec quaerere sola,
532 Sola superna sequi, tractare et noscere oportet.
533 His jubet ipse Deus sudare, instare, vacare,
534 qui licet a nobis semper videatur abesse,
535 semper adest tamen his, amat hos, fovet atque tuetur
536 qui sibi se insinuant et toto pectore adhaerent ;
537 atque ita dispositi, declives, sicque parati
538 sumere ut hunc in se valeant cupiantque videre
539 hoc visu, his oculis, quibus est Deus ipse videndus.
540 Cernere tunc demum poteris, quum solus et unus
541 nil mortale sonans, cura sejunctus ab omni,
542 sub cordis centro inclusus, mentisque recessu
543 tali animo fueris, cunctisque affectibus haustus,
544 quali tunc fueras, superis quom egressus ab oris
545 materna infusus cepisti habitare sub alvo.
546 Quid, miseri, heu colimus terras, caenoque jacemus ?
547 Migrandum hinc alio propere graviterque dolendum
548 quod nos ex aliqua hic vivamus parte ligati,
549 ut tanto citius mortali compede lapsi,
550 caelicolum faciem laeti videamus apertam.
551 Spiritus assidue pulsat praecordia motor.
552 Surdus obaudieris monitus si forte salubres,
553 te sinet in praeceps ferri sine lege vagantem.
554 Sin vero admittas, jam caeli numine plenus,
555 religione duce, hinc sursum super astra fereris
556 visurus proprias sedes patriamque priorem,
557 praemia ubi accipies merito geminata labori ;
558 perpetuo felix status hic aeternaque vita,
559 casta voluptatum series et gaudia Divum,
560 otiaque et risus, praesentia, gloria, vultus,
561 gratia, majestas, lumen requiesque perennis.
562 Verae ibi divitiae, vera hic sapientia quam non
563 terrenus novit sapiens sub faece sepultus.
564 Sic, ducente deo, summum veniemus ad illum
565 quem natura gradum potuit dare ab ubere pleno,
566 si sanctos animi affectus vivumque rigorem
567 cordis materia penitus dirimamus inertii
568 longius ut quanto moti distemus ab ipsa,
569 tanto proximius Superis vivamus in aevum.